T. Ing. Muratori

133 bis

DE

JURISPRUDENTIÆ NÆVIS.

DISSERTATIO

AB

LUDOV. ANTON. MURATORI,
BIBLIOTHECÆ SEREN. DUCIS MUTINÆ PRÆFECTO

Italicò primùm Idiomate elucubrata

ET

SANCTISSIMO

D. N. BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

Inſcripta;

Nunc autem

LATIO DONATA

A

P. BERNARDO HIPPER, O. SS.
P. Bened. in Antiquiſſimo & Exempto Monaſterio Weſſofontano Profeſſo, p. t. in Epiſcopali Lyceo Friſingenſi Human. Profeſſore.

Cum Facultate Superiorum.

PEDEPONTI,
Sumptibus Joannis Gaſtl, Bibliopolæ.
M. DCC. LIII.

REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
ac
EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO IGNATIO ALBERTO

L. B. de WERDENSTEIN,

Domino in Dellmessingen, Eminentissimi, ac Serenissimi Domini Domini JOANNIS THEODORI S. R. E. Cardinalis è Ducibus Bavariæ, Episcopi Frisingensis, Ratisbonensis, & Leodiensis Consiliario Intimo, Consilii Ecclesiastici Frising. Præsidi, & Vicario Generali, Ecclesiæ Frising. Cathedralis Canonico Capitulari &c. &c.

DOMINO DOMINO

PLURIMUM GRATIOSO.

REVERENDISSIME,
ILLUSTRISSIME,
AC
EXCELLENTISSIME
DOMINE &c.



Criptorum plurimi libris ſuis, tanquam liberis, Tutores & Cuſtodes, uti non raro indigent, quærere ſolent, quorum Avitum Stemma & Dignitas libro ſecuritatem, Virtus ſplendorem, Sapientia conciliet approbationem. Tutorem & Cuſtodem his non imparem cùm & ego Opuſculo huic optarem, continuò inveni, nempe TE, REVERENDISSIME, ILLUSTRISSIME, ac EXCELLENTIS-

TISSIME DOMINE, & Prosapiâ, & Dignitate, & Virtute, ac Sapientiâ multò clarissimum.

Stirpis quidem TUÆ, jam undecim ante secula pulcherrimè fumosæ, latent primordia, ut illustrior innotesceret Origo. Infelix posteritas! quòd injuriâ temporum felicitatem Majorum suorum nesciat. Imò felix ignorantia! quæ longissimi ævi antiquitatem commendat. Et Nili fontem natura occuluit, cujus alveo universa Ægyptus irrigatur. Celatur nobilissimi fluminis ortus: patet nobilius multò beneficium, quod publicum, & commune omnibus est.

Sic feliciter ignoratur Generis Werdensteiniani initium, soli Virtuti cognitum, & sine initio adsignatur initium in Kuzmanno de

Werdenſtein, qui, cùm Hunni, gens efferа, omnem latè Germaniam igne ferróque vaſtarent, cum Othone M. Romanorum Imperatore militans, in prælio, quod haud procul Auguſta in campo Lycio cum barbaris commiſſum erat, digna prorsùs ſpectaculo edidit, egregiâ eadem in pugna morte defunctus: Annus erat à Chriſto nato ſupra nongenteſimum quintus & quinquageſimus.

Sed alii Progenitores ex Stirpe TUA aliquot Secula Kuzmannum præceſsêre, qui ſuffragantibus Hiſtoriographis anno poſt natam ſalutem ſexcenteſimo cum Dominis de Schvvangau & Hochenegg maximo totius Germaniæ bono divum Magnum é Scotia adduxêre. Ut diſſimulem Heroas ex Antiquiſſima Proſapia Tua Animas, Hil-

Hildebrandum I. an. 1120. Hildebrandum II. an. 1259. ùt habent tabulæ Monaſterii S. Crucis Auguſtæ apud Vindelicos. Volcardum an. 1219. Rudolphum 1270. Henricum I. 1280. Hildebrandum III. 1324. Henricum II. 1340. Conrados, Caſparos, Georgios, Ignatios, Franciſcos, Ferdinandos, alióſque omnes Sago & togâ, armis & litteris longè celeberrimos. Certè Hildebrandus IV. à Werdenſtein, qui anno 1543. fatis conceſſerat, ob antiquiſſima & perpetua in Domum Auſtriacam merita à Maximiliano II. Romanarum rerum Arbitro in Equitum Ordinem cooptatus fuit.

Tot porrò fatidica in Senatu Prætorio Oracula Delphica miramur; quot Aviti Generis inclytos Heroës Werdenſteinianos, quos,

consiliorum feracissimos, in arcani Senatûs conclavi Cæsares ac Principes consuluêre, ut publicæ Rei quàm optimè consultum irent. Illustrissimæ Stirpi Tuæ Ordo noster Benedictinus in acceptis refert, quòd Principibus Cœnobiis San-Gallensi, ac Campodunensi Abbates Principes dederit. Sileo permultos in variis Cathedralibus Ecclesiis Canonicos, aut in Ordinibus Nobilissimis Equites Antiquissimos. Taceo Religiosissimas in Nobilibus Parthenonibus ex Illustrissimo Stemmate Tuo Antistitas. Et dum ego sileo, loquantur interim Parentum, & Avorum Perillustrium Scuta Gentilitia: loquantur Nuptiæ inter Werdensteinianam, & Illustrissimas Familias, nimirùm de Burgau, Rothenstein, Knöring, Freyberg, Reichlin, Stozin-

gen

gen &c. &c. festivo ac fausto Hymenæo celebratæ.

Falsò arbitrantur quidam, Nobilitatem abhorrere à Virtutis, & Pietatis studio; quòd animum enervet, nullámque Auctoritatem, vímque nullam pro bello relinquat, & Curia. Sed contrà æstimando motum omnem à cœlo derivari in res humanas: gloriosius, & utilius nihil reperies; quàm illud colere. Vidit, & etiamnum obstupescit Suevia Virtutem, ac Pietatem Joannis Caroli à Werdenstein, quem Joannes Petrus Pinamonti, Vir religiosissimus, (a) Sancti illius Aulici & Comitis Elzearii vivum Ectypon dicere minimè dubitavit. Parcite vos cæteri Manes! quòd nihil tradam de vo-

(a) *Cogitationum Maxima Consi derat.* 6. §. 5.

vobis: longum enim foret ire per ſingulos, quorum vel nominibus recenſendis, nedum Virtutibus enumerandis me imparem eſſe libenter agnoſco. Horum Sapientiam ac Virtutem cùm *enarrent gentes, & laudes enunciet Eccleſia*, ego (quis ego autem?) non niſi devotiſſimæ reverentiæ pleno ſilentio celebrare poſſum.

Sed quid ego proſequor laudes alienas, malo dicere Tuas, Vir Illuſtriſſime! tametſi alienæ dici non debent, quas feciſti proprias: vivunt in Te Majores Tui, & Tu in Illis: redivivos facis, dum vivis; colligis omnes intra Te, & addis Te Illis: Majores Tui ſunt, nec Tu tamen es minor, fortiſſimorum Heroum fortior Nepos; Atavis Religioſiſſimis Religioſior Abnepos. Jam naſcenti viſæ Cha-
rites,

rites, & majora Numina obstetricari, ut novo Consortio, hinc Majestatem, inde amorem amabili, sed verendo vultu spirares. Vidit Te Roma Tironem, & mirata est in Tirone Magistrum: vidit Magistrum, qui modestiâ Tirones vinceret, hodie discipulus, cras, ùt morum exemplar anteà, sic jam Dictator. Litteris illa Te erudiit; Tu illam pietate illustrâsti. Pro regnis & Regibus Majores & Proavi decertárunt: Tu pro cælo DEO Sabaoth dimicas, & Regali in Sacerdotio incruenta Domini prælia prælaris: alios Illi devicerunt: Tu Te ipsum vicisti, dum calcatis mundi rebus Ecclesiæ militas. Hoc qui facit, inquit Romanæ Eloquentiæ Princeps, non ego eum summis ac fortissimis Viris, sed simillimum DEO

ju

judico. Intelligebat ſcilicet Vir iſte ſapientiſſimus, quid eſſet, quantíque conſtaret, ſe ipſum ſuperare, ſeu quod idem eſt, majorem ſe ipſo fieri; ſtare impavidum, cùm omnia nutant; erecto animo eſſe, cùm fata ſiniſtra toto pondere incumbunt.

Virtutis eſt, non magna duntaxat, & laudanda facere, ſed magna quoque & multa, imò maxima plurimáque ferre. Philoſophis & Oratoribus, Hiſtoricis ſimul & Poëtis nec Romulus aliquis, nec Remus, neque Æneas, nec Anchiſes, nec Hector, nec Achilles, nec Cæſar, nec Pompejus, imò nec Hercules quidem Dîs genitus: parùm dixi, nec Jupiter ipſe magnus ſatis aliquando fuiſſent, aut hodie eſſent, niſi quisque eorum poſt res maxima cum laude

de

de geſtas, maxima plurimáque ſemper tuliſſent. Tuliſti, Vir Illuſtriſſime (quis neſcit ?) tuliſti maxima, plurimáque, & tuliſti hæc invicto ſemper animo Victor glorioſiſſimus, virtute major, cùm Te virtute minorem ſentis, quam nexu adamantino ſic Tibi devinctam habes, ut Virtus Tua ſit Idea; Tu Virtutis Effigies.

Sapientiam Tuam, qui Conſilii Eccleſiaſtici providentiſſimum Præſidem, totius verò Friſingenſis Diœceſeos in Spiritualibus Vicarium Generalem agis Vigilantiſſimum; Sapientiam, ajo, Tuam neceſſe non eſt prædicare. Quid enim dicam de Manſuetioribus Muſis juxta ac ſeverioribus ſcientiis ? hoc omninò, Te manſuetiorum Muſarum eſſe delicium, quibus ſic in Athenæis fuiſti excultus,

tus, ut eas Ipſe cultiores reddideris, Fœcundus ingenio, Facundus eloquio: Sapientiæ omnis ampliſſimum theatrum: Te amæniore litteraturâ ſic imbutum; ut nihil à Te tractatum ſeverius; ſic ſeverioribus inſtructum Scientiis, ut nihil Tibi aut faciliùs, ſanè aut jucundius fuiſſe videatur. In Tua Eruditione graviſſimóque Judicio (video enim; quod Calliſtratus (b) de Orpheo dicit, in Te Ipſo

Καθαρὰς τῶν ὀμμάτων βολὰς
Oculi aciem puriſſimam)

In Tua, inquam, Eruditione graviſſimóque Judicio maximum & litterarum, & eorum, qui litteras colere ſe profitentur, præſidium invenio, adeò, ut de Te illud jure optimo dicere poſſim, quod Dionyſius Gothofredus JC. de Franciæ Pro-

(b) *Apud Cerdanum in lib.* 1. *Æneidos.*

Procancellario: *Te ùt Justitiæ, legúmque vocem, Custodem, & Armarium profitentur. Omnium artium ac scientiarum homines ita sinu foves, ut hi justis de causis suas commentationes Nomini Tuo dedicârint.* Quos insecutus hoc opusculum, à me latio donatum Tibi inscribendum, ac ea, qua par est, reverentia & submissione offerendum censui, opus tenue, si moles: mediocre, si interpretis ingenium: magnum, si Tuus de litteris sensus; maximum, si summa Tua in Musas voluntas ac benevolentia consideretur. Admitte igitur Reverendissime, Illustrissime, ac Excellentissime Domine Domine, Juris & Æqui studiosissime, admitte magno, quo soles omnia, animo laborem hunc meum, & Tuo asylo excipe. Judicabunt námque periti, esse aliquid in hoc, utut tenui opusculo, quod legi mere-

rea-

reatur, cujus inſcriptionem tam Illuſtre Virtutis, Nobilitatis, & Excellentiæ ſidus, dedicari ſibi ſuſtineat. Ad extremum ardentiſſimis Votis precor, ut Deus O. M. ad Illuſtriſſimæ Familiæ Tuæ decus ac ornamentum, ad totius Friſingenſis Diœceſeos emolumentum, & denique ad Reipublicæ litterariæ incrementum annos Tibi plurimos cum perpetuo, eóque feliciſſimo rerum omnium curſu adjiciat. Quòd quidem tantò efficacius voveo, quia Gloriæ Tuæ, Virtutis, ac Sapientiæ perpetuus admirator, & devotiſſimus encomiaſtes ſum, eróque dum vixero.

Reverendiſſimæ, Illuſtriſſimæ, &
Excellentiſſimæ
DOMINATIONIS TUÆ

Servorum Infimus
P. BERNARDUS HIPPER,
Benedictinus Weſſofontanus.

APPROBATIO.

Almæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub tit. SS. Angelorum Custodum; & simul Facultas Proprii Abbatis

CUM


PRIVILEGIO CÆSAREO.

NOs Beda DEI gratiâ Abbas Wessofontanus, p. t. Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub tit. SS. Angelorum Custodum Præses Generalis &c. R. P. Bernardo Hipper Professo nostro Wessofontano hisce facultatem impertimur, ut *Dissertationem de Jurisprudentiæ Nævis* à se ex Italico in Latium translatam (de cujus probitate & pretio eò minùs dubitandum esse censemus, quòd Sanctissimus D. N. *BENEDICTUS XIV.* Pontifex Maximus eam ab Authore

re ſuo *Ludovico Antonio Muratorio &c.* Nomini ſuo inſcribi permiſerit) typis vulgare poſſit: quibus etiam D. Joanni Gaſtl, Bibliopolæ Pedepontano, Privilegium Cæſareum communicamus, quo aliis Bibliopolis, atque Typographis &c. interdicitur, ne dictum librum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. I. & hæreditarias S. C. Majeſtatis provincias inferre præſumant. Dat. in exempto noſtro Ord. S. Benedicti Monaſterio Weſſofontano die 20. Novemb. an. 1752.

(L. S.)

Beda Abbas Weſſofontanus, p. t. Præſes Generalis.



INTERPRES Lectori Benevolo S.

DUo mihi necessum est paucis hic præfari; de libri Auctore alterum, alterum de genere modóque interpretationis, seu versionis: nam mortales ita cõparati sumus, uti priùs os dicentis libenter intueamur, quàm verba percipiamus.

Auctor igitur hujus libri est Ludovicus Antonius Muratori, Italus gente, Bi-

bliothecæ Sereniſſimi Ducis Mutinæ Præfectus, atque Templi Pomposcani Præpositus, Vir omni genere elegantioris doctrinæ excultus, ac præclaris, iísque plurimis, quæ ingenio ſuo ſtudióque peperit, ac in lucem conſpectúmque hominum protulit, Scriptis longè celeberrimus, quamquàm in aliquibus etiam vapulet. Eorum nonnulla ficto Lamindi Pritanii, Antonii Lampridii, aut Ferdinandi Valdeſii nomine in publicum emiſerat, ab Auguſtiſſimo Imperatore catenâ aureâ donatus, ornatus. Præſens, quod bone Lector intueris, Opuſculum, Italico primùm idiomate conſcriptum, Sanctiſſimo D. N. BENEDICTO XIV. Pontifici Maximo inſcripſerat, vel eo maximè conſilio, ut Jurisprudentiæ, quæ plurimarum Legum, ac librorum confuſâ farragine inhorruit, & hac mole velut morbo laborans medelam ſuſpirat, pro ſuprema ſua, qua pollet, Auctoritate, atque prudentia ſalutares adferret manus, idque cumprimis in Provinciis poteſtati ſuæ ſubjectis, ut alii quoque Principes & Reges, ejusdem cum pulcherrimo ſanè exemplo, tum publici boni curâ concitati, afflictæ Juſtitiæ

in

in Regnis ſuis, maximo ſubjectorum & ſubditorum Civium commodo, ſuppetias ferre non tergiverſarentur, leges ſuperfluas aut inutiles abrogando, Juſtitiæ moras abrumpendo, & eos maximè Judices, quos ſingularis religio, atque integritas commendat, quique litium jura in ludis publicis, atque Academiis gnaviter perdidicêre, conſtituendo; corrumpi autem faciles, partium ſtudioſos, aut litterarum omninò expertes ultra Garamantes & Indos relegando. Magna enimverò & momentoſa res eſt *Juſtitiæ adminiſtratio*, eáque inter præcipuas Magiſtratuum & Imperantium curas reponenda, cùm in ea Reipublicæ felicitas maximè ſita ſit, plurimúmque & ad patriæ ſplendorem, & ad Civitatis cujusque ordinationem, & ſalutem referat, ex æquitate judicia exerceri. Lucis uſuram, quam Ludovicus Antonius Muratori Mutinæ anno à reparata ſalute milleſimo ſupra ſexcenteſimum ſecundo & ſeptuageſimo XII. Kalendarum Novembr. primùm acceperat, anno milleſimo ſupra ſeptingenteſimum quinquageſimo X. Kalend. Februarii in patria ſua amiſit,

 miſit,

misit, de mansuetioribus juxta ac severioribus Musis optimè meritus.

De genere porrò formâque Interpretationis, seu versionis monitum quemque volo, ne phaleras illas descriptionum, orationum, Sententiarum in hoc argumento exspectet. Has ego nequaquam promitto; & verò si promitterem, aliud calamistrum ad crispandos mihi hos cinnos quæsiissem. Styli cultu uti libuit, quantum quidem licuit; quamquàm tamen non perpetuò me Phœbum odisse, nec omnes sermonis Veneres calamum meum exosas fuisse autumem. Diu mecum ipse luctabar, an Dissertationem hanc, horis subsecivis à me latinè redditam, publici juris facerem. Delicatus est hujus nostri, quod vivimus, seculi genius: varia sunt hominum ingenia, & sæpè diversa magis, quàm edentium orexis. Escam iis nemo ad saporem coxerit, à quo abhorrent, non obsonatoris vitio, sed convivæ. Quotquot hodie eruditi viri scribunt, eodem, quo Achilles, fato videntur geniti; suos enim Thersites habent, qui generosæ virtuti convitiantur. Neminem propè unum in-

invenias, qui ubique ſuorum operum calumnias Momorum, & obelos poſteritatis effugerit, quíque nullibi acceperit vulnus. Adeò nihil ſatis purum ad nitorem reperies, quod ſuis dentibus livor non configat. Et quod omnium moleſtiſſimè fero, non eruditi & frugi homines duntaxat hanc licentiam ſibi vendicant, ſed inepti quoque, & qui carent naſo, eandem, neſcio quo jure, paſſim uſurpant. Ego, ut verè dicam, ex alieno periculo mihi timeo, terrorémque (utinam vanum) confingo: ſi enim ad hæc fata rerum, ac temporum, quæ nunc ſunt, ſublimes cedri contremiſcunt, vili myricæ quis metum eximet? ſi poſt tot annos Homerus, atque Virgilius adhuc ad tribunal citantur? ſi Cicero patrono indiget, qui inanitatis accuſatum in optimam eloquentiæ famam aſſerat? quis non timeat Muſis ſuis, ne audaci ferulâ, atque Orbilii ſceptro vapulent? Ita nempe fert humana conditio, ut, quidquid à nobis fit, ſaltem ex parte reprehenſioni pateat; ſed abſurdiùs nihil, aut iniquius, quemadmodùm Petrus Firmianus optimè aſſerit, quàm maligno calamo, aut dente aliorum lapſus perſtrin-

 gere,

gere, ut ſuprà errores poſiti videamur, qui tam ſolutè, tam protervè arguimus. Hæc præfiſcine dicta ſunto. Ceterùm hanc, quam cernis, verſionem effato S. Proſperi, *Epiſt. ad Auguſtinum* ſcribentis, muniendam cenſui: *Neceſſarium & utile eſt etiam, quæ ſcripta ſunt, ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur*: quin ipſe Auguſtinus *Lib. I de Trinit. Cap. III Utile eſt*, ait, *plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide etiam de Quæſtionibus iisdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Denique omnes velim memores verborum C. Salluſt. Criſp. *in Catilina, ſeu bello Catilinario Cap. I.* dicentis: *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.*

His prævie animadverſis, erudite Lector! quæ tua humanitas eſt, ſtudium ac operam meam, quam ad opuſculi hujus interpretationem converti, æqui bonique



níque consule, & nævos atque errores typi, aut calami, si quid fortasse in sensum Auctoris peccavi, benignè vel emenda, quod à scientia ac prudentia tua peto, vel excusa, quòd à bonitate & humanitate tua spero. Vale, & qualibuscunque conatibus fave.



IN-



INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Ingressus Operis.

CAPUT II.

De Theologis Moralibus, Medicis, & Jurisperitis.

CAPUT III.

De interioribus Jurisprudentiæ, & Judicii Nævis.

CAPUT IV.

De externis Legum, ac Judicii Nævis.

CAPUT V.

De Romanis Legibus, earúmque Interpretibus.

CA-

CAPUT VI.

De Difficultatibus æquum, & iniquum in plurimis casibus cognoscendi.

CAPUT VII.

De Judicibus, eorúmque Nævis.

CAPUT VIII.

De Advocatorum, aliorúmque Jurisprudentiæ Ministrorum Virtutibus, atque Nævis.

CAPUT IX.

An hodierna Jurisprudentia in meliorem ordinem redigi possit?

CAPUT X.

An consultum, & utile foret, omnem Jurisprudentiam ad solum studium verborum Legis revocare?

CAPUT XI.

Jurisprudentia verè corrigi poteſt, ſi præcipua puncta in eadem controverſia deciduntur.

CAPUT XII.

De requiſita in Judicibus Adiaphoria.

CAPUT XIII.

De nonnullis Regulis, quas Judex ſequatur.

CAPUT XIV.

De pernicioſo Jurisprudentiæ Nævo ob longi ſubſellii judicationem.

CAPUT XV.

De Præſcriptione, & Uſucapione.

CAPUT XVI.

De Creditorum Concursu.

CAPUT XVII.

De Fideicommissis, Majoratibus, Primigenituris, ac Substitutionibus.

CAPUT XVIII.

An in agitandis Caussis civilibus juxta ac criminalibus Græcorum & Latinorum, vel Hodiernorum ratio sit præferenda?

CAPUT XIX.


Experimentum quarumdam Conclusionum circa nonnullas in Jurisprudentia con-

controversas Quæstiones, illius examini propositum, qui statuta & leges condendi potestatem habet.

CAPUT XX.

Conclusio Operis.





CAPUT I.

Ingressus Operis.

JUs & fas esse arbitror, ut, quotquot scientiam, Artémve quamdam profitentur, eandem nullo non tempore magni faciant, laudúmque præconiis ornent: verùm haud ita facilè iis ignovero, qui eam immoderatè æstimantes grandioribus buccis crepant; cùm specie scientiam, artémve suam laudaturorum, inflammato ad laudem propriam studio rapiantur, æstu gloriæ perciti. Ego perinde, ac quilibet partium immunis, altâque mente præditus magnam Jurisprudentiæ rationem duco; ejusdem non utilitatem modò, quin & necessitatem

in omni paulò liberaliùs instituta Republica cognosco, sed eos etiam, qui eandem profitentur, si cum intelligentia sapientiam, cum sapientia integritatem conjungant, summis, ùt par est, honoribus colo, atque suspicio.

Nihilominùs hoc in Jurisprudentiam, ejusdémque Studiosos studium nequaquam modum excedat. Eminentissimus Cardinalis de Luca *Legalem scientiam omnibus aliis profanis, seu temporalibus*, Theologiâ non nisi ægerrimè exceptâ, præferre minimè dubitavit. Age, patiamur tam magnificum ac sumtuosum elogium. Sed quòd Ulpianus *L. Justitia est constans ff. de Justitia & Jure* dicat: *Jurisprudentia est divinarum, atque humanarum rerum notitia; justi atque injusti scientia:* has enimverò ampullas, & sesquipedalia verba qui probet, nemo unus, opinor, erit. *Justi atque injusti scientia* dici fortassis poterit, quamquàm usus id non semper æqui, boníque facere videatur, & ipse Cardinalis de Luca alio loco dubitet, an nomen *scientia* eidem competat. Esse autem Jurisprudentiam *divinarum atque humanarum rerum notitiam*, propè est, ut hepar nobis moveat: siquidem id genus definitio duntaxat encyclopediæ, quæ omnium scientiarum artiúmque cognitionem complectitur, minimè

minimè verò Jurisprudentiæ, quæ certis cancellis circumscripta est, convenit.

Accursius in *Glossis* ex se percontatus, an legum Doctor ad Theologiam quoque incumbat, id opus haud esse, sibi ipse reposuit: *Nam omnia in corpore Juris inveniuntur.* Vastum profectò volumen sit oportet hoc legum corpus, cùm in eo omnia reperias, quæ ex omnium artium disciplinis sciri, aut intelligi possunt. Et si Accursius id etiam de utriusque Juris Libris intellexisset, certum & exploratum est, in illis nec Theologiam speculativam, & Moralem, nec Medicinam, nec Philosophiam, nec Mathesin &c. inveniri. Si autem significare vult, in Libris illis omnia comprehendi, quæ ad ferendam in rebus divinis æquè ac humanis sententiam requiruntur (ut nihil de Theologis dicam) super omnem Doctorum chorum saltabit; amplissimam Operum à tot tantisque Jureconsultis in apertum lucémque prolatorum bibliothecam monstraturus dicam; si omnia in corpore, quod vocant, Legum reperiuntur, necesse haudquaquam erat, ingenia tot Voluminibus componendis, scriptisque exornandis fatigare. Verùm aliam nobis interpretationem Dionysius Gothofredus suppeditavit, qui Jurisprudentiam *divinarum*

rerum notitiam ex eo maximè dictam fuisse contendit, quia *conjuncta fuit olim Juris divini & humani scientia*; quasi verò etiam sub ævum Ulpiani studium Jureconsultorum hujusmodi fuisset. At si id etiam fuisset, ab Ulpiano nihilominùs illa magnificentius quàm veriùs jactata fuêre. Si dixisset; Jurisprudentia est *Juris divini & humani notitia*, non autem *divinarum atque humanarum rerum*, faciliùs illi fortasse ignoscas, quamquàm haud defuturos existimo, qui & hoc: *divini*, eidem convenire diffiteantur.

Jam tametsi nostri Jureconsulti pro viribus tubas inflent, ut ubique terrarum, ac gentium magnificæ professionis Laudes resonent; nihilominùs si Legum scientiam non minùs in se ipsa, quàm in usu & exercitatione recto ac indifferenti mentis oculo examinaveris, eandem tot aliis humanis rebus haud dissimilem esse reperies, quas si ex hac parte consideràris, pulcram, ex alia verò turpem præferre faciem videntur. Referte, obsecro, tantisper ad animum Justiniani Leges, maximam partem, quòd non rationem duntaxat & Justitiam, sed laudabilissimum etiam finem, dandi utpote cuique suum, in se ipsis contineant, lectæ venustatis sunt. Verùm intendite paululùm ad has leges in usu mentis vestræ aciem;

em; DEum immortalem! quæ confusiones, quæ pugnæ, quæ turbæ in tribunalibus? Eo consilio, siquid ego judico, tam bellæ latæ sunt leges, ut lites resecarentur, & hæ immensùm crevêre; saltem breviter & festinantiùs absolvendæ essent, & in plures annos trahuntur, æternæ sunt. Horum autem malorum faces cùm subtilitas, tum malitia, & intemperantia ingeniorum incendit, quæ vel novitatis studiosa, vel de victoriis in causarum decisione anxia, vel in iisdem disceptandis ac dijudicandis cuidam favendi cupida innumeras penè controversias excuderunt, contrarias doctrinas, & oppositas conclusiones plantaverunt; nec ea res est, quæ magno negotio ac studio possit effici, cùm potissimùm de materiis conjecturalibus agatur, in quibus certa haberi veritas nequit. Cui fortuna id elargita est, ut liber à litibus suum quietè possideat, ingentem hanc confusionem nec advertit, nec animo secum volvit: at quisquis iniquissimo fato suo hoc genus flagello cæditur, ejusdem severitatem vel ignarus sentit. Doctores nostri, turbidarum procellosarúmque harum aquarum probè gnari, minimè de eo laborant, imò magnum ex iisdem fluctibus, atque tumultu voluptatem capiunt, quia causarum Patroni, Procuratores, ac Judices

ex injuria, ex clade & ſanguine aliorum, qui, quòd vel omnia perdant, vel id, quod ipſis reliquum eſt, aut acquirunt, cariùs emant, in lacrymis jacent, rem ſuam augent, atque ad ampliſſimos etiam honores, & ſummas dignitates perducuntur. Et quamquàm præ aliis Jurisprudentiæ nævos, fraudes atque technas obſervent, & manu quaſi tangant; tamen inſtar aliorum acutorum, & ad omnem morum honeſtatem educatorum ſervorum eandem non ſolùm non vituperant, ſed maximis etiam laudibus in cœlum tollunt. Videmus veterem Philoſophiam juxta ac non paucas veteris ſcholaſticæ Theologiæ inanes quæſtiones ab hodiernis Theologis, atque Philoſophis impugnari. Quod ad *Jurisprudentiam practicam* attinet, date mihi quempiam in Italia, qui ejusdem vulnera liberè fatearur. Summùm in deciſis ſingularibus caſibus non raró exclamabunt, hodiernam Juſtitiam eſſe injuſtitiam, quin culpam unquam in eandem dictam ſcientiam conferant, vel benè ponderent, quòd omnibus retrò ſeculis plurimi laboris fuerit, in infinitis ferè caſibus Verum ac Juſtum indagare, maximè ex quo Jurisprudentia in tam diverſárum, & inter ſe diſcrepantium opinionum chaos redacta eſt.

Con-

Consilium igitur cepi (siquidem id aliis haud curæ est) argumentum istud quodammodò examinare, non aliquo in facultatem Juridicam, quam omni honore prosequor, & sine qua humanæ societatis conjunctionem ob lites minimè devitandas, quibus misera hæc mortalium Regio quot diebus concutitur, consistere non posse cognosco, odio; sed tantùm ex aperto malo, si fieri posset, eruendi boni amore inflammatus. Omnibus sanè votis expetendum esset, ut abusus, qui ex præsentis mundi conditione in politicum Regimen, in civiles hominum mores, in artes quoque & scientias introducuntur, pedetentim aperirentur, atque radicitùs evellerentur. Quemadmodùm vasa & instrumenta, quæ vel sacro cultui, vel mensæ, vel aliis usibus serviunt; sic & mundus indies correctione, atque expurgatione indiget. Conferam in id omnem operam, ut indicem, an ejusmodi emendatione ipsi Jurisprudentiæ opus sit. Multò autem magis id demonstrare posset, qui in hac militia veteranus, innumerabilibus præliis decertavit, vel plures annos Jura è publica cathedra explanavit. Saltem hoc argumentum succedente tempore majore cum efficacia pertractaturo viam aperiam, hoc loco de Civili duntaxat Jurisprudentia acturus: nam quod ad criminalem, multis

quoque obſervationibus dignam, attinet, non eſt conſilium mihi, eandem vel breviter perſtringere, id negotii illi reſervando, qui curâ publici commodi concitatus eodem, quo ego, animi candore, majoréque experientiâ eam tractandam ſibi ſumeret. Siqui porrò mihi vitio verterent, quòd cum Jurisprudentia pugnaturus calamum arripuerim, quaſi verò id agerem, ut & illi, & illius ſimul doctoribus fidem abrogarem; eisdem tanquam invidis, vel in publicum bonum inimicis diem dicam, ex quo non volunt, ut profeſſionis ſuæ nævi protrahantur, & medium quoddam proponatur, in quo univerſæ Reipublicæ res agitur.

Eorum denique ſermones coërcebo, ad memoriam illud revocando, quod non nemo celeberrimorum in legali Imperio Miniſtrorum, Eminentiſſimus nempe Cardinalis de Luca, Lib. X. Cap. V. Doct. Vulg. de Jurisprudentia loquens in hæc ferè verba ſcribere minimè dubitavit. *Tot Quæſtiones, ac variæ Opiniones illum contemtum merentur, quem jam Jurisperitorum Opera ab aliarum ſcientiarum Profeſſôribus atque Doctoribus habent, cùm, non obſtante magno amore, fortaſſis inordinato, quo quisque ex generali ac naturali inſtinctu in proprias partes fertur, ſi tot quæſtiones,*

&

& opiniones, à me ipso in Theatro super hoc argumento deductas, lego, uno eodémque tempore, ùt ait Horatius Civis & popularis meus, risum & iram compescere nequeo. Et ad hoc Principes, atque magna Tribunalia in eradicandis tot spinis, quæ faciunt, ut ne Justitia & veritas usu exerceri possint, mentem transferre deberent. Si uni ex primis Facultatis Juridicæ luminaribus ita loqui, ac scribere licuit, ecquid mihi ejusdem reciprocare voces non liceat?



CAPUT II.

De Theologis Moralibus, Medicis, & Jurisperitis.

TRia potissimùm sunt virorum eruditorum genera, qui per totum, qua latè patet, terrarum orbem cum Principibus, & Magistratibus in alios jurisdictionem, atque imperium exercent. Tales sunt *Theologi*, quos vocant

Morales, *Medici*, & *Jurisperiti*. Horum primi de *anima hominis* ad ultimum finem ſuum, ad quem creata eſt, tendente, vel ab eo aberrante agunt, docentes, quibus operibus DEUS, æquiſſimus Judex, ſua vel ſupplicia, vel præmia decernat; & quæ indifferentia, ſeu adiaphora, id eſt, quæ nec his, nec illis ſint digna. Eapropter animæ noſtræ non rarò eorum tripodem pulſant, vel ad eorum tribunal vocantur, ut cognoſcant, quid peccatum, quidve non ſit peccatum; & ſiquidem tale, an illud lethale, vel leve cenſendum, quod nempe mortem animæ non inferat. Id genus doctorum hominum adhuc vivorum omnis civitas ingentem alit numerum, quorum ſapientiſſima inſtituta æquè, ac ſaluberrima conſilia ſanè prudenter ſequimur. Verùm longè major eorum eſt numerus, qui, etſi fatis conceſſerint, tamen vel mortui in libris ſuis vivunt, & nobis poſt fata quoque loquuntur, magni ſine dubio viri, & publico bono, etiam ex tumulo, conſulturi: Atque his, utpote emeritis ſine vita Magiſtris, jure majorem debemus reverentiam, ac venerationem. Alterum genus Litteratorum ſunt *Medici*, jurisdictionem ſuam in *corpus humanum* eo maximè nomine exercentes, quòd illud ſartum tectum ſervare, ac medicamentis præſervativis

munire

munire doceant; vel ſiquis etiam infirmâ valetudine proſtratus fuerit, nullum non moveant lapidem, ut eundem priſtinæ quandocyùs ſanitati reſtituant. Profectò felicem dixeris, cui cum morbis & doloribus pertinaciter depugnanti Æſculapius adeſt: feliciorem adhuc credideris, cûjus lectum multa Medicorum turba coronat, quorum ſcientia, & conſiliis æger animatus, in novam ſpem creſcit, fore, ut ſymptomata, dolores, & morbi quaſi territi, ac conſternati, ut ita loquar, velut agmine facto, quamquàm ingratiis ſuis cedere, fugámque arripere cogantur. Et ſanè an minor ſpes animum ſubeat, poſtquàm annos non paucos inter litteras ac ſtudia haud otioſi laboratores conſumſerunt, in id ſolùm intenti, artem ut comprehenderent, ſtatum morborum, humanum corpus infeſtantium, cognoſcendi, eisdémque medendi? ſiquis dein fati ſævitiâ diem obeat ſupremum, ad quem Medicus raró, aut nunquam inviſit, quid mirum? mors in defectum unius illorum, qui non modò violentiam morbi frangere, verúm & ipſam adeò mortem comperendinare, & repellere valent, ſecuta erit. Nemo igitur inficias iverit, Medicis in ipſa hominum corpora imperium eſſe. Tertium denique eruditorum genus *Jurisperiti* conſtituunt, qui amplâ prorſûs

in

in *Facultates & res hominum* jurisdictione gaudent, si illæ, nescio quo fortunæ ludibrio, in disceptationem & contentionem venerint; imò hæc potestas nonnunquam in *mortalium* quoque *vitam*, simul ac certa ab iis flagitia fuerint admissa, extenditur.

Jam in his tribus doctrinâ præstantium virorum generibus quis non miretur, infinitas propemodùm discordias, & contrarias inveniri sententias? Potens Regina mundi (*Opinionem* intelligo:) maximè in horum talium regione solium suum fixisse videtur. Evolvantur libri *Theologorum Moralium*, procul dubio inter omnes de regulis generalibus, de principiis actuum humanorum, ac legibus, ad spiritalem hominem spectantibus, convenit; quia vel legibus naturæ nituntur, vel è certissimo sacrarum Litterarum Oraculo oriuntur; vel denique dogmata sunt à Summis Pontificibus, sacris Conciliis aut sanctis Patribus sancita, atque stabilita. Sed si regulæ illæ in variis casibus, qui vel occurrunt, vel facilè occurrere possunt, in usum & exercitationem deducendæ, superi boni! quàm diversæ opiniones! quàm innumera bella! Unus eorum: hoc si feceris, vel omiseris, inquit, non peccas; & si aliud causæ tuæ non repugnat, æternam salutem tuam in

vado

vado esse credas velim. At alius contra insurgens vociferatur: hoc ubi admiseris, vel omiseris, peccas, actúmque est de te: anima tua salute periclitatur, in profundam inferni abyssum, æternùm infelix, certò certiùs præcipitanda. Quid in hoc rerum articulo iis agendum, qui se christianis legibus auctoratos gloriantur? Emersêre ævo superiore nonnulli, qui ejusmodi controversias pertinaci studio pervestigantes, docuerunt, nullâ ratione fas esse, opiniones probabiles, relictis probabilioribus, sequi. Verùm haud defuêre alii, qui affirmarent, ac minorem amplecti probabilitatem relictâ majore sanæ rationi consentaneum judicarent; eòquòd sic operando quis non sapienter magis, quàm providè operaretur. Hoc modo in tanta diversarum opinionum copia, quibus Theologia moralis scatet, illæ quoque opiniones obtinuerunt, quæ usum probabilitatis vel negant, vel concedunt.

Ad *Medicinam* quod attinet, apud omnes in confesso est, illam in artibus suis inferioribus, quas subalternas vocant (ejuscemodi sunt Anatomia, & Chirurgia) accessione novorum luminum posterioribus annis plurimùm profecisse, ac profuisse: verùm his non obstantibus, ut originem & causam plurimorum morborum cognoscat, eisdem-

eisdémque medelam adferat, densis adhuc tenebris involuta est. Omnes, easque diversas opiniones, quæ solùm super febribus, & utilitate vel damno phlebotomiæ in tot tantisque Medicorum libris leguntur, in tabulas relaturus, non ita facilè hoc sese negotio expediret. Longè pejùs dein haud dubiè cum pharmacis agitur: innumera propemodùm cùm simplicia, tum ex aliis composita nobis eorum Libri ac scholæ proponunt: at si quinque aut sex ex illis demas, cætera omnia, incertum, an vel minima ex parte vim suam ad valetudinis instaurationem exserant; quin quandoque etiam non de nihilo timendum, ne aliqua eorum mortem accelerent, qui sine his medicamentis & Machaonum succis, aut Podaliriorum sorbitionibus libitinæ fauces evasisset, & ad hunc usque diem communi spiritu frueretur. Constituit providum Numen æterno senatûs-Consulto certos vitæ humanæ terminos, & naturaliter vel ex quantitate aut qualitate ciborum, vel ex aëre fortuitò aut constanter maligniore ac pestilenti, vel denique ex intemperantia aliisque variis causis descendit, ut stamina vitæ præter spem non raro in flore juventæ rumpantur, & immaturi manes præcoci fato in censum libitinæ, ac tumulum abripiantur. Hinc non semper est in Medico, obicem statuere,

re,

re, ut ne natura furori gravium malorum succumbat. Et si vos prudentissima consilia, ingeniosas subtilitates, ac mira sermonum compendia de qualitate & origine morborum ad lectum infirmorum audire desideratis, vos vestris damnare votis in promtu erit. Siquis vestrûm etiam est, qui addiscere cupiat, utrùm omnes corporum casus secundùm Matheseos regulas eadem invadant; an ad eos depellendos potiùs ad Euclidem, quàm Galenum confugere oporteat, erit etiam regio, quæ vos id doceat. Interea autem non exspectâstis, ut post tot doctrinas pharmaca necessitati, ac ægrotorum exspectationi responderent. Opinionibus plena est speculativa; plena Practica; plena Pharmaceutice. Nec defuerunt nobiles Medici, qui in vastis voluminibus suis prolixè demonstrarent, quàm incerta sit ars, quam profiterentur; quàm dubia pharmaca, quæ adferrent: nec desunt nostrâ quoque memoriâ alii, qui idipsum procul fuco, & cerussa fateantur, illis minimè similes, qui, licèt errores, quibus ars medica obnoxia est, quot diebus audiant, & cognoscant, nihilominùs potissimam quæstuosæ artis suæ rationem habentes stomachantur, si quis non ad eundem prorsùs modum sentire, vel loqui ausus fuerit.

Feli-

Feliciori ſanè fato Jurisprudentia regi videtur: hanc enim non ſolùm Doctores, & Magiſtri ſummis apud alios laudibus extollunt; verùm etiam inſtructiſſimum mirabilis ſcientiæ, & nobiliſſimarum regularum promtuarium ad dandum cuique, quod ſuum eſt, credere non dubitant. Nemo unus eſt, qui eandem errorum incuſet: imò fortaſſis perſuaſum ſibi habent, eam in ſeipſa omnibus erroribus immunem eſſe. Et verum ut loquar, Corpus, quod vocant, legum, à Juſtiniano nobis exhibitarum, & poſt Æræ noſtræ ſeculum decimum, aut undecimum in Italia renatarum, & ſenſim omnibus Italiæ ſcholis ac tribunalibus poſtliminio reſtitutarum, atque ab iis receptarum propiùs inſpiciens, facilè earum æquitatem commendat, dum in eo ſolida principia, ac regulas majore ex parte vel utiles, vel ad S. Themidis lances ex æquo moderandas neceſſarias, vel denique laude digniſſimas invenit. Verùm hac tempeſtate Jurisprudentia his limitibus neutiquam circumſcripta eſt. Digeſta, ſeu Pandectas, Codicem, & Inſtitutiones haud immeritò nobilem quidem, ſed parvum Jurisprudentiæ hortum dixeris. Doctrinas, in Corpore mox dictarum legum contentas, poſt aliquam temporis intercapedinem Jurisconſultorum, qui poſt annum à partu Virginis

mille-

millesimum, centesimum primam lucem aspexêre, perspicacia & intemperantia tot aliis auctum ivit, ut hortus ille amænissimus in vastam juxta ac opacam silvam abierit. Quapropter minimam hodiernæ Jurisprudentiæ partem leges constituunt, quarum etiam verbis multi Jurisperitorum & Leguleiorum forensium vel leve tantùm, vel omninò nullum impendunt studium. Maxima pars è contrario in tot tantisque quæstionibus cum doctrinis adfirmantibus, & negantibus, divisionibus, subdivisionibus, exceptionibus, ac limitationibus, per Interpretes, causarum Patronos, & tractatuum compilatores inventis, atque promotis consistit, ut hodie omnis Jurisprudentia opinionibus, veriùs dicam, confusione oppleta sit, maximo cum ipsius Reipublicæ, tum privatorum detrimento. Ad hoc defensores, ac Jurisprudentiæ fulcra oculos, animósque advertere seriò deberent: quo facto, si modo lingua concordet menti, non poterunt non fateri, hanc legum scientiam multis nævis obnoxiam, emendatione, atque correctione, quanta fieri potest, maximâ indigere.

Positis jam hisce nævis; positâ non minùs in paulò antè memorata scientia, ejúsque exercitio emendationis necessitate, op-

tandum ſanè foret, ut tandem Principes Legislatores exſurgant, qui ſummam rerum adminiſtrantes iſtud inſigne beneficium ſaltem in regna, ac Provincias ſuas conferre & poſſint, & ſciant, & velint. Hìc diſcrimen notetis velim, quod artem Medicam inter, & Theologiam moralem ex una, & Jurisprudentiam ex altera parte intercedit. Tametſi prolatæ tres ſcientiæ eâdem prorſùs ratione innumeris penè opinionibus implicitæ ſint, de duabus tamen prioribus efficacem controverſiarum deciſionem optare licet, ſperare non licet. Cùm enim Medicinæ, qua de loquimur, incertitudo, & quæ ex illa conſequitur, opinionum multitudo non ex occultiſſimis duntaxat morborum cauſis, ſed etiam ex eo ortum ducat, quòd ſtatus, in quo ſolida & fluida corporis mali habitûs conſiſtunt, non niſi maxima cum difficultate aperiri poſſit; & multò magis quòd à peritiſſimis etiam Medicis nec cognoſcatur, nec cognoſci queat, quid in diverſis morbis obſit, quidve proſit; ut autem controverſiæ ſuper opinionibus, quæ ad morborum cauſam, & curationem ſpectant, maximè ubi de uſu & exercitatione res eſt, decidantur, ἀδύνατον ἐςίν.

Ut id, quod dixeram, perſpicuum magis reddatur, exemplis confirmatum eo. Sic

Sic quia non ſatis exploratum habemus, utrùm frequentior phlebotomiæ uſus, à nonnullis præſcriptus, in tot tantisque morbis ad eorum levamen ſapienter admittatur, putabimus equidem, eundem eſſe remedium; ſed putabimus; ſecurum enim & certum haud erit, cùm contingere poſſit (faxint ſuperi, ut raró) cùm, inquam, contingere poſſit, ut idem remedium non uni unico, ſed omnibus malis medeatur, ægrotum nempe hac miſeriarum valle liberando. Id ipſum aliis dictum cupio: qui, adverſa valetudine correpti, nullo Achille movendi ſunt, ut ſanguinem mittant, quia inde fortaſſis omnis malorum ilias naſci poteſt. Nihilominùs Medicina nullam unquam mutationem ſubit, ſed erit ſemper, quæ hodie eſt. Mehercle albæ mentis vappa, & obeſæ naris ſit oportet, qui, ubi vires lapſæ ſunt, ad Hypocratis Alumnos non confugiat: id tamen monitum velim, ut ne Aceſiæ ſe concredat; ſed ſiquidem id in manu ſit ſua, eos eligat, quos, ſin minùs Therapeutes ſint, vimque mali levare nequeant, ea ſaltem commendet prudentia, ut fata ægrotantis, qui ſine illorum pharmacis ex morbo convaluiſſet, non maturent.

Dixi: *Medicina* non poteſt; *Theologia* autem *Moralis* non debet opinionibus ſuis eximi. Summi Pontifices, ſacráque Concilia haud dubiè poſſent, poteſtate à DEO ſibi conceſsâ, ſi vellent, infinitas ferè quæſtiones, ac opiniones, quæ in hac ſcientia occurrunt, definire: attamen nec unquam id in animum induxêre, nec hodie inducunt, prohibente, quæ cum ipſorum poteſtate conjuncta eſt, prudentiâ, virtutum omnium Reginâ, boníque regiminis Duce. Certè ad proſcribendas ac condemnandas innumeras Opiniones ſæpè ſæpiùs ſecura, & clara rationum momenta deficerent: Quid? quòd in Eccleſia DEI univerſa mos ſemper invaluerit, tum demúm contra aliquam propoſitionem ferre ſententiam, quando vel ob directam oppoſitionem, vel contortam ſequelam doctrinis à ſancta fide noſtra ſtabilitis contraria, vel ab interna rerum ratione reprobata eſſe cognoſcitur. Hac de cauſa ſapientiſſimi quique Pontificum, exceptis quibusdam propoſitionibus, à vera regula aberrantibus, & virgulâ cenſoriâ notari digniſſimis, pro ſua prudentia, cæterarum, quæ probabilibus nituntur rationibus, ordinem turbare nolunt, unicè in votis habentes, ut ob majorem animarum noſtrarum ſecuritatem opiniones ac ſententias probabiliores præ aliis amplectamur;

mur;

mur; ob id tamen illum minimè reprobantes, aut condemnantes, qui nonnunquam minùs probabiles ſequitur, ſi materiam Sacramentorum, & adminiſtrationem Juſtitiæ, & ubi de vita hominis agitur, excipias.

Non ea eſt Juriſprudentiæ conditio. Hæc enim *poteſt*, ac *deberet* perpurgari, non quidem ab omnibus (quod fieri nunquam poteſt) ſed ab ingenti opinionum ac errorum, eandem deformem reddentium, numero. *Poteſt*, inquam, corrigi: ſiquidem aliud non requiritur, quàm ut Principes, qui novas leges ferendi, mutandi, corrigendi, veteres abrogandi, ac Judicii tam recuperatorii, quàm quæſtionum rationem legibus conſtituendi poteſtate pollent, paterno ardore ſuccendantur, & meliorem ordinem in judiciis præſcribere, ac infinita dubia, controverſias, & opiniones, Juriſprudentiæ obtruſas, averruncare pro virili contendant. Et *debet*, inquam, vel ſaltem *deberet* huic correctioni magno animi vigore admoveri manus, quotiescunque liquidò conſtaret, in Juriſprudentia, ejusdémque exercitio non paucos dari nævos, qui in totius Reipublicæ detrimentum vergunt.

CAPUT III.

De interioribus Jurisprudentiæ, & Judicii nævis.

JAm hinc ab orbis terrarum incunabulis, ex quo *meum*, & *tuum*, frigidum illud verbum, natum eſt, mortales ad hoc tempus aſſiduis inter ſe commiſſi ſunt litibus, nunquam certè, dum mundus erit, finiendis. Neceſſe proin eſt, ut omnis bene inſtituta Reſpublica, in qua forenſia agitantur negotia, Juriſconſultos juxta ac Judices ſuos habeat, qui partium litigantium rationes examinantes, ad legum, rectæque rationis præſcriptum aliorum controverſias decidant: ſiquidem nemini unquam fas eſt, in propria cauſa Judicem agere. Quapropter ſi de Juriſprudentiæ nævis, ejusdémque erroribus tollendis loquimur, non eſt conſilium nobis, hanc ſcientiam, quam ſummè neceſſariam eſſe arbitramur, è ſcholis penitùs exterminare, atque in ultimam uſque Thulen relegare; vel ordinem ac numerum Doctorum, & eorum maximè quibus

bus docendi juris incumbit provincia, imminuere: ſed conſultum eſſe exiſtimamus, ut illa, quoad feret facultas, plurimis nævis perpurgetur, fructu laboris in univerſam Rempublicam redundaturo. Dixi: *quoad feret facultas*; enimverò nemo peritus negaverit, Jurisprudentiam æquè ac Theologiam Moralem, & Artem Medicam interioribus nævis ſcatere, quibus ſat firmum remedium adferendo nemo unus unquam erit, humana auxilia cuncta jam eludente præfractâ mali atrociâ.

Primus itaque nævus ab ipſis legibus proficiſcitur; has enim tam claris, ac perſpicuis ſcribere verbis oportet, ut de mente Legislatoris ſatis ſupérque conſtet. Verùm non omnes leges, quas corpus, ùt vocant, Juris Juſtinianei, aut variarum civitatum ſtatuta continent, hoc titulo gloriari poſſunt; eáque propter variis interpretationibus obnoxiæ ſunt, maximè quòd latium textûs civilis ſine eruditione ſæpenumerò ſubobſcurum, atque anceps videatur. Sed quod magis mirere, hoc obſcurior lex fieri, atque in diverſum ſenſum, ac partem rapi poteſt, quò plura in eadem condenda, ad mentem Legislatoris bene explicandam, non raro adhibentur verba; ídque non aliam ob cauſam, quàm quòd ii, qui leges eo conſilio callidè ac ſubdol-

ſervant, ut illas neceſſitati ſuæ accommodent, ſingulas voces, ſyllabas ſingulas, commata & puncta chymico, ut ita dicam, more eliquent, id in dubium vocantes, quod Legislator quidem dicere voluit, ſed fortaſſè non ſatis apertè, & liquidò expreſſit. Videbam olim litem ſuper hæreditate Principis, inteſtato mortui, non ſine magno ſtrepitu agnatos inter & ſororis filios agi. Cauſa civitatis cujusdam ſtatuto dirimenda erat; & ſi dixero, civitatem illam gloriari, qùod non obſcura liberalium diſciplinarum ſedes ſit, in quam Phœbus cùm omni muſarum gynæceo, relicto Parnaſſo, migrâſſe videatur, ea continuò omnium animos ſubibit cogitatio, Decretum ac deciſionem doctiſſimorum majorum ſatis perſpicuam fuiſſe futuram. At aliter, ac opinamini, evenit: ſiquidem utriusque partis cauſidici nihil intentatum relinquentes, omnem induſtriam in eo conſumſerunt, ut dubia ſtatuti verba quisque à parte ſua dimoveret, donec denique ſecundùm Agnatos pronunciatum ſit.

Alter nævus eſt, quòd leges omnibus & ſingulis caſibus, qui plurimi, ne dicam, infiniti eſſe queunt, nec provideant, nec providere poſſint. Inde tot tantæque exceptiones, ac limitationes ortum duxerunt, quas Jurisconſulti, vel ex aliis legibus,

bus, vel ſaltem ex principiis ſic dictæ, aut creditæ rectæ rationis deductas, non paucis legibus accomodant, ſecundùm quas Legislator in certis, iisque plurimis caſibus vel non potuiſſe, vel non voluiſſe quidquam prohibere, aut præcipere videtur. Exploratum eſt, Juſtinianum innumeris penè caſibus, qui fieri poſſunt, ſuo legum Corpore, quod vocant, neutiquam providiſſe. Quamquàm autem lex quædàm clariſſima, & alicui cauſæ propria eſſet, nihilo tamen minùs oculata Legislatorum induſtria ſæpiùs varias circumſtantias conjecturâ aſſequi nequit, ob quas eadem res, ſive præcepta, ſive prohibita, aliam faciem induere, lætúmve aut triſtem exitum ſortiri poteſt. Eam ob rem ecce ſeminarium contentionum, ac litium! non nullis adfirmantibus, hanc talem cauſam, his circumſtantiis veſtitam, ſub deciſione hujus, vel alterius legis comprehendi, aliis id pari rationum pondere negantibus.

Tertius nævus (fuit nullo non tempore communis, erítque talis, dum mundus, ac hominum genus) conſiſtit in explicatione, & interpretatione humanæ voluntatis, atque intentionis, vel ex operibus, vel verbis ipſorum mortalium colligendæ. Ars planè oppidò difficilis, quæ non amplum

duntaxat immensæ jurgiorum multitudini campum aperit, sed etiam pluribus causarum Patronis, & Judicibus in quibuscunque civitatibus, ac locis, ubi pro tribunali sedetur, plurimum negotii facessere, & nodum plusquàm gordium objicere potest. Ex hoc fonte emanârunt, sempérque emanabunt tot controversiæ ob pactiones, seu contractus, fideicommissa, vel ob alias substitutiones, & id genus decisiones hominum, in testamentis, instrumentis, & tabulis expressas. Si viri, quos melior Phæbus amavit, omni, inquam, doctrinâ ornatissimi non raròlegem, aut statutum haud iis verbis scribere sciverunt, ut omnibus antilogiis, dubiis, & amphibologiis via præcluderetur; quantò faciliùs fieri poterit, ut homines litterarum rudes, & penitùs amusi in proponenda, & verbis enodanda voluntate fallantur, nec terminorum, phrasium, ac Syntaxeos, seu constructionum obscuritatem devitare sciant, quæ eorum quoque intellectum in tricas conjiciendo, & aciem ingenii præstringendo est, quos scientiis probè subactos in comperto habemus? Addam & illud, haud levem quandoque ejus rei culpam in illiteratos Legulejos, ac Cerberos forenses conferendam esse, qui paciscentium, & testatorum mentem vel non satis intelligunt; vel si intelli-

telligunt, eandem tam ignavè, ac confusè exprimunt, ut duobus, iisque contrariis Patronis argumentum, & ansam dicendi, atque prætexendi præbeant, eandem clienti suo favere. Non nemo Doctorum urbis nostræ tabelliones (officii voce *Notarios* dicimus) conspicatus, qui vel pactionem faciebant, vel testamentarias tabulas condebant, subridens ad Collegas suos: *En!* ajebat, *ùt hi commodo meo occupantur!*

Quartus nævus ex textibus oritur, quo nempe modo à judicibus intelliguntur, atque interpretantur. Quantis infirmitatibus, quantis cogitationum monstris, ac æstibus, quantis mutationibus mortales plerumque obnoxii sint, haud adeo pronum est dicere. Hic in hunc, alius in alium sensum eandem prorsùs rem, pro suo quisque genio, detorquet. Videmus à diversis tribunalibus decisione ejusdem causæ totum diem eximi, atque sententiam in utramque partem ferri, eoquòd his rationes, quas alia tam fortes credunt, infirmæ, ac nullius planè roboris videantur. Amat hoc, ùt Eminent. Cardinalis de Luca testatur, etiam in tribunalibus majoribus, ac primariis (supremam Pontificis Curiam, seu Rotam Romanam intelligit) fieri, ubi Judex unius cognitionis, seu instantiæ, quod ajunt, revocat, quod Judex

Judex alterius ſtatuit: quin iidem Judices non rarò ſine ulla facti varietate id ipſum recantant, quod non ſemel duntaxat iterúmque, ſed ſæpius decreverunt. Id quod ex prima, cujus ſuprà meminimus, ratione fluit, quia ſcilicet, quamquàm generales ideas circa juſtum, injuſtúmve, circa fas, & nefas habemus; illas tamen ſingularibus caſibus aptaturi, malleum inter & incudem hæremus, ignari, quænam ex his ideis, vel effatis, ac regulis præ alia obtineat. Ad hæc cùm crebrò de aliorum voluntate, ac intentione res eſt, ad quam explanandam ſecura nos regula deficit, omniaque à prudentia, & magnam partem ab opinione, quæ pro variis ingeniis etiam varia, dependent; idcircò licèt Judex in multis caſibus è veſtigio, aut certè ſine multa ingenii ſui defatigatione cognoſcat, quæ cauſa ſit juſta, quæve injuſta: nihilominùs multæ dantur recuperatorii judicii cauſæ, quæ judicem mirificè percellere, atque incertum reddere & debent, & ſolent, ita quidem, ut ſtatuere ſecum nequeat, quæ litigantium pars æquum bonum habeat. Dein vel ex eo haud obſcurè patet, quàm non ſolida ſint mortalium judicia, qùod, qui cum aliis lite non diſtinetur, nec cauſæ ſocius eſt, vix lectis exercitati cu-

jus-

jusdam Caussidici allegationibus, ac consiliis, confestim in ejus sententiam manibus pedibúsque eat, ac palmam eidem adjudicet. Verùm simul ac rationum vim alterius æquè periti, ac exercitati Patroni, qui contrariæ partis defendendæ provinciam in se suscepit, sagacibus oculis perlustrat, & æquali mentis lance trutinat, mox animi pendere, ac denuò ratio pro illa pugnare videtur. Et profectò videas Judices, qui eum felicitate omnibus anteferendum existiment, cui vel in dicendo, vel scribendo ultimum esse contingit, magno adversæ partis infortunio. At majori longè malo alii litigantes mactantur, eos Judices nacti, qui, quamprimùm partes ad illos consistendæ litis causâ veniunt, mox in mente sua in unius gratiam decernunt, nullis rationum, quas, tametsi fortissimas, pars adversa adferre potest, momentis de prima sententia sua deducendi, marpesiâ caute duriores: imò non raro occultè, & in animo suo, nî etiam apertè, sententiæ, cui jam subscripserant, Patronos agunt.

Quid multis? quemadmodùm in infinita propè rerum, sensibus objectarum, multitudine in certam, quæ falli non possit, venire notitiam, perquàm difficile

cile eſt; ita in innumeris ferè caſibus res eſt plurimis obſepta, & quaſi circumvallata difficultatibus, ut quis cognoſcat, in qua ex duabus lancibus jus ſit poſitum. Nec hac in re Jus Civile, & Theologia Moralis, quæ humanorum actuum innocentiam, vel malitiam pertractat, inter ſe differunt: ex una enim parte militant rationes humanæ libertatis ad operandum; ex altera verò pugnant rationes Legis cujusdam, ſeu divinæ, ſeu naturalis, ſeu, ùt dici ſolet, poſitivæ, adeò quidem, ut caſus penè omnem numerum abhorreant, in quibus humanus intellectus hæret ambiguus, quid agat, in quam partem inclinet, quò vel legem non perfringat, vel libertate, à DEO, aut Superioribus nobis conceſsâ, non abutatur. Et inde tam diverſæ opiniones naſcuntur, an tot omiſſiones, tot cogitationes, verba & opera hominum ſint bona, aut vitioſa.

Age verò nunc Jurisprudentiam conſideremus. Eadem de re inter Doctores plurimùm controvertitur, atque pro aris & focis pugnatur. Quod alter affirmat, negat alter: multò magis autem eandem difficultatem in ſingularibus caſibus dirimendis experiri licet, finibus veri & falſi, æqui & iniqui densâ circumfuſis caligine, deficientéque ad diſcernendum, ad quam

ex

ex duabus causa proposita sit referenda, sufficienti lumine. Accedit, quòd mortalium mentes vel ob majorem aut minorem scientiam, vel ob varios voluntatis juxta ac affectuum influxus, qui modò ad hoc, modò ad illud approbandum, vel improbandum, unámque sententiam præ altera eligendam flectunt, suprà quàm credi possit, inter se diversæ sint. *Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia*, canebat olim Venusinus Vates Lib. II. Sat. I, Idcircò eandem causam in tribunali è pluribus personis composito agitatam videmus, in qua Judices tam facilè dissentiant, tametsi quisque illorum pro officii sui ratione in eadem probè ventilanda, diligentérque expendenda partes suas ex asse impleverit.

Verùm si quandoque etiam contingit, ut, qui pro tribunali judicaturi sedent, unanimi calculo in hanc sententiam præ alia abeant; illa ipsa autem causa ex intervallo ad aliud tribunal devolvatur, non deerunt ibi Judices, quos inter minimè conveniat, ita, ut non rarò sententiam priori prorsùs contrariam ferant. Adeò nempe à vero haudquaquam abludit, mundum vel ob varietatem intellectuum, vel ob occultas æqui ac iniqui latebras tam incertis, variisque judiciis subjectum esse.

esse. Et hic sive rerum, sive mortalium internus nævus, quem in singulis tribunalibus videas, ita comparatus est, ut nullum satis validum remedium fuerit, nec unquam futurum sit, quod necessitati intrinsecùs medeatur.

Ea propter humana prudentia, quæ aliud invenire nequiit, statuit, ut in controversiis, ad forum contentiosum deductis, illius causa melior esse crederetur, cui plures sententiæ favissent; vel in quem etiam plures Judices sua in judicio suffragia contulissent, id quod ùt plurimùm nos minimè securos reddit, litem uni litigantium ob internam rationum claritatem, ac evidentiam secundùm tabulas datam fuisse; sed uni vel pluribus Judicum sic visum esse, ex quo nihil certi, sed sola recti judicii præsumtio descendit, seu quod nostrâ loquendi ratione idem, haud esse scientiam, sed opinionem, quæ si non semper, certè sæpè sæpiùs in singularibus, & controversis causis forum disponit. Dicatur pro lubitu studium & professio legum scientia legalis, seu Jurisprudentia: hoc enim nomen optimè eidem convenit, si modò, qui illud sibi vendicat, multum studii ad leges civiles adhibuerit, earúmque rerum ignarus haud sit, quas illæ in variis justitiæ argumentis, præcipuè circa *meum*, &

tuum

tuum ſtatuerunt, vel prohibuerunt. Nihilominùs quotieſcunque quis hanc ſcientificam cognitionem ad tot tantásque controverſias, quæ non rarò Patronos, atque Procuratores multis difficultatibus tenent implicitos, decidendas in uſum exercitationémque deducere cupit, plerumque non eſt ſcientia, ſed opinio, quæ rem decernit; quia paſſim non ſatis liquet, illam cauſam, id genus adjunctis veſtitam, hujus, illiúsve legis diſpoſitioni ſubeſſe; & prudenti ſcrupulum injicit, vel metum incutit, an non fortaſſe ſub diſpoſitione alterius ſit comprehenſa; vel an non voluntas, & mens exempli cauſâ Teſtatoris, aut contrahentis alia fuerit. Et eò uſque dum nullam hæc veritas dubitationem habet, obſervare licet, hoc anno controverſiam hac, aliâ rursùs ratione evoluto aliquot annorum curriculo ab eodem tribunali deciſum iri. Sed parciùs iſta, dicet fortaſſis non nemo: controverſia non eſt eadem; & accedentibus aliis atque aliis adjunctis in utraque cauſa haud mirum videtur, ſi poſterior ſententia â priore diſcrepat. Itáne verò?

Veritatem demùm addatis velim, quæ Eminentiſſimo Cardinali de Luca, optimo rei hujus arbitro, excidit, cujus tamen priùs Decianus in Apologia Juriſconſulto-

C rum

rum capite quinto decimo, numero supra tricesimum secundo meminerat, quosdam nempe, qui juri mortalibus dicundo præsunt, ad hanc potiùs quàm aliam sententiam ferendam levissimis Caussidicorum rationibus moveri. In Libro de stylo Legali cap. V. Purpuratus Doctor in hæc fermè verba scribit: *Omnia argumenta, & rationes, quæ meliores, fortiores, ac convincentes existimantur, in medium proferendæ sunt, quin tamen aliæ omittantur, quæ pro illa ratione leviores esse censentur, eò potissimùm, quòd stante magna ingeniorum varietate, non omnes gustus, vel opiniones conveniant. Ex quo consequitur, quod illa argumenta, quæ uni bona ac solida videbuntur, alteri debilia, ac levia videri possint; & è contrario quæ uni nullius roboris ac momenti videbuntur, ab alio meliora existimanda sint.* Et rursùs Cap. XV. *In contradictoriis, & aliis functionibus,* ait, *minimè vituperandum est, si multa argumenta adferuntur, quin solida à debilibus, quod Judicis est, secernantur, ac eligantur; cùm secundùm sæpiùs dicta nonnunquam debilia argumenta placent, displicent è diverso bona, & solida.*

Hoc genus opinionem, si rectè judico, in Tullii Ciceronis voluminibus de arte Oratoria legi; labore tamen eandem quæ-

quærendi ſuperſedendum cenſeo. Talpa igitur ſit oportet, qui non videat, in quod diſcrimen Juſtitia conjiciatur, ſi ſententiæ ab ingeniis, & capitibus pendent, per quæ ſolidæ rationes non pertingunt, ſed futiles duntaxat ac leves perrumpunt. Si hoc Cardinalis de Luca de Judicibus, qui multos annos in cauſis graviſſimis, judiciìsque publicis ſunt verſati, fateri non dubitavit, quid de pedaneis oppidorum, arciúmque arbitris dicendum erit?

Jam his internis, & eſſentialibus Jurisprudentiæ, atque Judicii nævis nemo eſt, repeto, qui medicinam ferat. Fieri nequit, ut Lex omnibus dubiis, & caſibus, qui contingere valent, liquidò providerit. Multò minùs quivis mortalium tam propriis verbis animi ſui ſenſa in publicis tabulis aperire poteſt, ut nullam prorsùs dubitationem relinquat, quamprimùm cauſa, ſeu negotium ſuſpicioni materiem præbet, hoc eſt, ſimul ac capiti hominum commiſſum eſt, ut non de levibus, ſed gravioribus, & majoris conſilii dubiis decernant: ex quo conſequitur, controverſiam illam variis judiciis, atque rationibus judicantis obnoxiam, ac nullo negotio varias variarum perſonarum ſententias de eadem materia eſſe poſſe. In caſibus, à Legislatoribus apertè dijudicatis, tametſi levia dubitandi adſint argumenta,

 affir-

affirmari poteſt, quòd lex vel deciderit, vel decidat: occurrentibus autem graviſſimis dubiis, an cauſæ, ſuper quibus contenditur, in lege ſint comprehenſæ, nec ne; vel ad quam legem hæc, illáve cauſa ſit referenda, caput eorum, qui forum agunt, decernat oportet. Siquis porrò neſciat, quid ſint mortalium capita, altiùs apud animum ſuum perpendenti patebit, illa eſſe opinionum, præſumtionis, inconſtantiæ, debilitatis, atque errorum emporia. Præterea qualitas cauſarum non raró magnis involuta eſt obſcuritatibus, & ad captum longè impeditiſſima, adeò quidem, ut prudens, ac ſpectatæ fidei, & íntegritatis Vir, qui ſibi ipſe non aſſentatur, inficiari nequeat, ſe dubitatione æſtuare, nec ſatis compertum habere, cui litigantium in illo caſu ſecundùm tabulas lis, & poſſeſſio detur. Fuêre doctrinâ inſignes Judices, qui in ejuscemodi incerto rerum ſtatu ſummo ſtudio adlaborârunt, ut litigantes ad pactionem potiùs deſcenderent, quàm ut litem jure dirimerent: attamen hoc conſilium alii, non tam rationem muneris ſui, quàm magnitudinem munerum alienorum conſiderantes, nunquam æqui boníque conſulent, minimè adechaſti. Quare ut ne eorum jacturam patiantur, ſecum ſtatuunt, in unius gratiam pronunciare,

quam-

quamquàm si fateri vellent, vehementes ad pronunciandum pro altera parte sentiant impulsus.

Non nemo liberalissimè eruditus juxta ac integerrimus Judex mihi olim retulit, se, dum pro nostris tribunalibus sederet, Advocationisque munere fungeretur, omnes penè causas, quas ob rationum suarum momenta meliores credebat, quàm ut iis cadere posset, perditum iisse; & è contrario sæpiùs se causam obtinuisse, cui plurimùm diffidebat. Ferte nunc, per me licet, ad astra mundi Justitiam, tanquam illam, quæ cuique suum æquâ lance tribuat. Enimverò potest quispiam tentari, ut eandem rem difficilis aleæ plenam, sortémque dicat.

Huic denique capiti Eminentissimus Cardinalis de Luca, rerum harum probè gnarus, colophonem imponat, è cujus purpurato ore aliam rursùs veritatem audire nos nequaquam pigeat. In Procemio ad Doctorem Vulgarem sic scribit: *Stante paulò antè dictâ ingeniorum varietate, usus & exercitatio nos sæpiùs docet, illa diversum longè sortiri eventum, quæ sive bene, sive malè Advocati præsagiunt; dein eam etiam ob causam, quòd magna & excelsa tribunalia sententiam suam retractent: ex quo probatur, in articulis, ad leges spectantibus, &*

maximè in materiis conjecturalibus, vel arbitrariis non dari certam, & determinatam veritatem; cùm res omninò claræ, atque perspicuæ in Advocatorum contentionem minimè veniunt.

Plura sese mihi haud offerunt, ut demùm concludam, ingens non modò esse malum, calamitatémque, siquis judicio cum altero contendere, dicámque exercere debeat, sed etiam justas leges, piè in universæ Reipublicæ emolumentum sancitas, atque in usum deductas, ex humana fragilitate in maximum ejusdem verti posse detrimentum.

CAPUT IV.

De externis legum & Judicii nævis.

DEcantata res est, Julianum Jureconsultum, sedente ad imperii clavum Hadriano, *Edictum perpetuum*, sive compendium Juris Civilis eo maximè consilio edidisse, ut leges fori, usu magis receptæ, faciliùs oculis obversarentur. Simul

mul ac illud in lucem, conſpectúmque hominum emerſerat, continuò ea Jurisperitorum ætas in id intenta erat, ut Edictum, quod antè diximus, dilucidaret, atque commentariis illuſtraret, id eſt, ut leges illas vel relaxaret, vel ad arctiores terminos conſtringeret, diverſis adeò ſententiis, ut inſigne præſtantiſſimi hujus Viri opus confunderetur, ac dubiis, exceptionibus, antilogiis, reſtrictionibus, & ampliationibus repleretur, id quod ipſe Juſtinianus in Præfatione ad Pandectas his verbis conquerebatur: *Quod & ab antiquis Edicti perpetui commentatoribus factum eſt, qui opus, moderatè confectum, huc atque illuc in diverſas ſententias producentes, in infinitum detraxerunt, ut penè omnis Romana ſanctio eſſet confuſa.*

Laudatiſſimus hic Princeps, qui, eruditionis laude omnium in ſe animos, amoresque convertit, nihil antiquiùs habuit, quàm ut hunc abuſum vel emendaret, vel tolleret penitùs, conſtitutis eum in finem præcellentibus Jureconſultis, qui, expunctis futilibus quæſtionibus, variiſque tot antiquorum Commentariorum contrariis doctrinis, Corpus, quod vocant, legum conficerent, eáſque in ordinem digererent, ex quarum præſcripto, miſſis ſingularibus Jurisperitorum opinionibus, cauſæ in judi-

ciis decernerentur. Cùm autem probè animo prospiceret, fieri posse, ut eadem rursùs confusio repullularet, prohibuit severè, ut imposterùm nemo sibi sumeret in dictas leges Commentarios scribere, ne prior confusio in Jurisprudentia, ac Judiciis oriretur, ac summa imis miscerentur. Ejusdem Imperatoris verba *L. Deo Auctore C. de Vet. jure enuc. ∬. Nostram* recitabo: *Nullis Jurisperitis imposterùm audentibus Commentarios illis applicare, & verbositate suâ supra dicti Codicis compendium confundere, quemadmodùm in antiquioribus factum est, cùm per contrarias interpretantium sententias totum Jus penè conturbatum est.* Eandem inhibitionem inculcaturus, *L. Tanta* eodem Tit. & in Præfatione ad Digesta: *Sancimus*, ait, *ut nemo neque eorum, qui in præsenti Jurisperitiam habent, neque qui postea fierent, audeat Commentarios hisdem legibus adnectere* &c. &c. *Alias autem legum interpretationes, imò magis perversiones, eos jactare non concedimus, ne verbositas eorum aliquod legibus nostris adferat ex confusione dedecus; quod & in antiquis Edicti perpetui Commentatoribus factum est, qui opus moderatè confectum huc atque illuc in diversas sententias producentes, in infinitum distraxerunt, ut penè omnis Romana sanctio esset confusa.*

Eam ob rem ſapientiſſimus juxta ac Doctiſſimus Imperator, malo, ne latius ſerperet, clavum fixurus, ſtatuit, ut, ſi quis in illas leges ſcribere Commentarios, aut interpretationes auſus fuiſſet, tanquam falſarius condemnetur, ejusdémque libri, in tumulum congeſti, Vulcano tradantur flammîs abolendi. O quam bellè ac fideliter Juſtiniani Cultores ejus mandata exhauſêre! Et quî tantum obſequium, inſignis illius Imperatoris legibus præſtandum inculcent, dum illi omnium primi clarum, & repetitum ejusdem edictum infringere non dubitârunt? Ad ſeculum uſque duodecimum haud videas, quempiam à Digeſtorum, aliorúmque Operum legalium publicatione in illa commentatum fuiſſe, idque eam ob cauſam, quòd in Italia per plura ſecula Codex, & Pandectæ ſi non penitùs ſepultæ, certè minùs cognitæ fuerint. Fortè etiam nemo ſibi tantum tribuit, ut earum interpretationem faceret, non tam defectu voluntatis, quàm impotentiæ, ignorantiâ barbaris illis ſeculis plus, quàm par erat, dominante. Verùm vix dum ſeculo undecimo, multóque magis duodecimo Bononiæ Studium legum occeperat; ecce tibi Irnerius, & ſecundùm hunc alii ex aliis omnem ad leges, commentariis explanandas, laborem conferre: ecce Lectio-

 nes,

nes, & publicæ Scholæ, ac poſtmodò acri ingenio Viri, & eruditionis laude celeberrimi Doctores, atque Magiſtri leges enodare. Poſt verò quàm Typographia Librorum copiam facilem reddidit, ecce Cauſſidici ingentem allegationum, Conſiliorúmque vim in lucem emittere: & denique ecce immenſa Tractatuum de ſingularibus argumentis, & Deciſionum, à variis Curiis, & Senatibus emanatarum, moles, adeò quidem, ut vel Libri juridici inſolentis magnitudinis bibliothecam conficiant, & illa Fontanæ immenſum penè creſcere, augeríque poſſit, tot Libros nobis indicantìs, ut nullam ſive ſcientiam, ſive artem facilè reperias, quam non Opera juridica, prelo jamjam edita, ſuperent, atque excedant. Et ſanè res in peius adhuc ruet, ſi hæc ſcribendi libido, in qua nulla ætas intemperantiùs peccavit, quàm ſuperiora duo Secula, impoſterùm ſit continuanda. Datur inſuper Regio quædam, ubi Librum juridicum prelo vulgare æquè ad Magiſtratûs inſtitutum facit, ac ad Jurisprudentiam vel inficiendam, vel ſaltem apinis, ac inutilibus mercibus onerandam.

Quæret fortaſſis non nemo, quis ſit tot Voluminum fructus? quid commodi tam immenſa Librorum aliorum ſuper alios moles Jurisprudentiæ attulerit? nunquid leges

leges levi negotio intelligentur, ac via ad ferendam juſtam ſententiam complanata erit? minimè gentium: ſi enim ſuis momentis rem per ſe ipſam expendamus, nequaquam temerè ſtatuemus, hanc juridicorum Voluminum eluviem haud aliud contuliſſe, hodiéque conferre, quàm ut Jurisprudentia non modò difficilior, tricis magis obnoxia, ac ſpinis horrida, ſed judicia etiam incerta magis, ac dubia reddantur. Volvite, revolvite hos libros; reperietis infinitas propemodùm ſententias, ac concluſiones, ad unam omnes inter ſe diſcrepantes, id eſt, contrarias, vel repugnantes. Vix decem Auctores ſunt, qui doceant, quo pacto regula ad decidendam controverſiam ſtabilienda, atque firmanda ſit; mox viginti aut triginta alios videas, qui diverſis planè rationibus, atque argumentis moti, contrariæ ſubſcribant opinioni. In vaſto illo juridicorum Librorum emporio Actor æquè ac Reus arma ſua mutuantur, quibus eo ipſo tempore eandem actionem, & cauſam vel acriter impugnent, vel præfractè defendant.

Verùm enimverò non id ſpecto, ut Lectorem per longos viarum anfractus, atque mæandros ducam; id ſolum mihi ſufficiat, ſi vel oculum in nominatiſſimi de gente Ibera Auctoris opus (*Hieronymi Zevallos*, ſive

Caval-

Cævallos, ſive, ut Hiſpanorum more ac ore loquar, *Zevaglios ſpeculum aureum* intelligo) conjicere non gravatur, qui, *Opiniones comũnes contra Communes* tantùm colligens, quatuor majoris folii Volumina implevit. Nolim ego equidem ſuper auguſto & magnifico titulo, quo ille opus ſuum, ad majorem eidem conciliandam reverentiam, notaverat, *aureum* dicens, diſceptare, quamquàm propè finem vel parùm, vel nihil admodùm utilitatis ex eo duxeris: attamen adfirmare minimè dubito, ætatis noſtræ Jurisprudentiam ab illo vel ex hoc potiſſimùm ſuſpectæ fidei reddi, quòd eandem in ſententiis ſuis adeò diſcordem, ac incertam oculis noſtris proponat, & tanquam arenam repræſentet, in qua ſemper prælio decertatur, quin vel unquam palam fiat, quis ſit victor, quiſve victus: ſi enim in Foro ſententiâ communibus ſtudiis receptâ, quæ ſibi, cauſæque tuæ faveat, inſtructus compareas; en adverſarium, qui contrariâ, eâque communi etiam ſententiâ armatus tibi obviam venit: cui veſtrûm in hoc rerum ſtatu palma adjudicetur?

Sic multum temporis effluxit, ex quo illis denuò malis affligimur, queis Juſtinianus Corpore legum ſuarum mederi pertentavit, alióſque probare, quibus timorem injiciebat, ſimul ac Juriſperiti Dictatorum munus

munus ſibi ſumere, atque Legislatorum Magiſtros agere vellent, eorum mentem in tot tantísque caſibus exponendo, eandem nunc extendendo, nunc ad arctiores terminos reducendo, quin ſubtilitatibus parcant, ut Cæſarum decreta vel ſingularibus opinionibus, vel neceſſitati Clientûm ſuorum ſerviant. Pontifex Pius IV. etiam prohibuit, ut nemo Tridentinum Concilium, quod omni comparatione majus eſt, commentariis, atque interpretationibus explicaret, pro ſua prudentia veritus, ne vel ignorantia, vel hebes ingenii acies, vel inſignisſcriptorum temeritas ſolidas ac perſpicuas ſacroſanctæ Æcumenicæ, & Catholicorum Paſtorum ſumma veneratione digniſſimæ Synodi Tridentinæ deciſiones vel augendo, vel minuendo mutaret, atque corrumperet. Et profectò hujus Pontificis Maximi mandato ac voluntati ab omnibus obtemperatum fuit, Barbosâ falcem ſuam in alienam meſſem, nempe fidei dogmata, neutiquam mittente.

Non ita Cæſari Juſtiniano res è voto ſucceſſerat. Nemo Eruditorum eſt, qui ignoret, quantus eorum ſit numerus, qui leges Juris Civilis interpretatione explicârunt: Eáque propter ſchola Jurisprudentiæ hoc modo incertis doctrinis oppleta, & pro eo, ut annoſas lites, ac jurgia componeret,

ret, novarum litium ſeminarium facta eſt, ad præſtringendam magis, quàm illuſtrandam ingenii aciem accommodatum, ubi Judices in tot diverſis, ac contrariis opinionibus ſeſe deprehenſos eſſe advertunt. Verùm caput malorum eſt, quòd hoc pacto iis, qui judicia exercent, amplus apertus ſit campus, pro illo pronunciandi, qui magis gratiâ valet, quoties vel amicitia, vel odium, vel aliæ animi commotiones votis ſuis damnari cupiunt. Eam ob rem quas illi proferre volunt ſententias, omnes complurium Juriſconſultorum Auctoritate firmatas, ac in impreſſis libris ſplendido titulo *Communis* ab ipſis declaratas eſſe inveniunt. Exiſtimabat Zevallos, cujus ſuprà meminimus, omnes, quotquot Opus ſuum haud oſcitanter legerent, continuò in admirationem eſſe rapiendos, compertò, *in quanta*, ùt ait, *caligine, & obſcuritate totum Jus verſetur, quum nulla ſit opinio certa, & veriſſima, quæ non poſſit pluribus contrariis opinionibus, & fundamentis contrariari. Et ſic omnia negotia magis ex Judicum arbitrio, quàm ex certa Juris diſpoſitione terminantur; & modò in uno eodémque negotio nunc pro actore, nunc pro Reo ſententia fertur, ſine varietate Juris, neque facti, ſed ſolùm ex eo, quia his Judicibus placet hæc opinio, & aliis diſplicet, & contraria directè ſatisfacit, quum ſine certa*

certa lege omninò in tot opinionum varietate Respublica gubernetur. Ita Iberus.

Hac ratione veritati minime consentaneum existimo, quòd causas forenses decisuro duntaxat ad Codicem, & Digesta confugiendum sit; arctissimis enim hæc circumscripta sunt limitibus. Ampliores absque comparatione fines Jurisprudentia nacta est, à fœcundis & acutis Jureconsultorum posterioris ævi ingeniis pertractata, qui aliud immensum propè legum Corpus, prout ipsis visum fuit, composuêre. Eorum opiniones dicere leges vel eo consilio haud vereor, quòd illæ Forum dirigant, & sententiæ eodem prorsùs modo ferantur, quo vi veræ legis Justinianeæ ferri solent. Ita suprema Pontificis curia; ea ratione Senatus Taurinensis decidit; sic dicit Menochius; hoc pacto loquitur Cardinalis de Luca &c: &c. Ea etiam hujus Jurisprudentiæ conditio est, ut subinde causarum Defensores, titulo doctrinæ insignes, reperiantur, qui Corpus legum Justinianearum nunquam legerunt, ùt non raró quosdam Theologorum videre licet, qui sacra Biblia nunquam volverunt, nisi ubi ex Libro precum horariarum (Breviarium vocant) sacerdotale pensum persolvunt. Omnis illorum industria in versandis, volvendísque Tractatuum Compilatoribus, Patronis, atque decisio-

decisionibus desudat, ita, ut antiqui legum Interpretes, Bartoli, Baldi, Odofredi, hisque similes Juris Antistites, pulveris nebulâ penitùs obsiti, ac blattis tineisque relicti, in Bibliothecarum angulis infeliciter delitescant, sicque rarò in oculos, rariùs in manus veniant; imò sæpè infelici planè fato in Tyropolarum tabernas negligenter abjiciantur. Studiosi Academiæ titulos ac honores adepti in decisionibus Tractatibus, & Consiliis totum diem piscantur, iisdem ingenia sua excarnificant, oculos delassant, eorum aciem infringunt, quin & senio conficiuntur: si modò ad conferendam inter se, atque apud animum suum expendendam, quam alii in medium attulêre, legem subinde Codicem, vel Digesta consulerent, ferendum esset; quid quòd nonnulli nihil morentur leges proferre; & quasdam si proferunt, fortasse etiam ejusmodi erunt, quæ ad institutum, & rem, qua de agitur, non facient.

Eò ergò ventum est, ut non Principes duntaxat, quibus hoc jus reservatum erat, leges scribant, iisdémque vim atque auctoritatem tribuant; verùm Doctores etiam à sat longo tempore Solones, atque Lycurgi audiant, quorum opiniones ætas nostra magis suspicit, quàm leges antiquas jam quasi rancidas; quandoquidem tam multæ illarum

vete-

veterum legum variis interpretationibus, & exceptionibus uſque adeò extenſæ ſunt, ut hodie Judicia majorem iſtarum, quàm Textûs rationem habeant. Hac viâ Doctores evasêre fori Domini. Verùm hæc dixiſſe minimè ſufficit. Non tantùm opiniones ſuas in Leges converterunt, ſed poteſtatem etiam uſurpârunt has privatas leges mutandi, novas conſuendi, aliásque ad arbitrium ſuum ſubſtituendi. Siquis fortè dictis meis habere fidem dubitat, Azzoguidum audiat, Libro III. Cap. ſupra decimum ſeptimo de Communibus Opinionibus in hæc verba ſcribentem: *Communis opinio ſubjacet mutationi, ùt eſt notorium. Sæpè enim contigit, ut aliqua opinio, quæ à L. vel LX. annis ſupra communiter tenebatur, deſinat eſſe communis, ſi plurimi ex ſequentibus contrarium teneant.* Et Cardinalis Thoſcus, qui majorem præ aliis notionem habuit, varias opiniones juridicas colligens, verbo *Opiniones* Concluſ. CLII. *Aliæ innumerabiles Concluſiones ſimiles*, inquit, *poni poſſent, quas Doctores miro labore ùt communes, & magis communes conſtituunt, & tamen per directam contradictionem ſimilium opinionum communium deſtruuntur: ex quibus conſtat, ea quæ in opinionibus noſtris conſiſtunt, poſſe ſemper continere*

tinere fallaciam, prout in exemplis, quibus uno tempore communis opinio indubitata fuit apud antiquos, quæ hodie communiter reprobata reperitur.

Num porrò animum vestrum cupido sciendi incessit, in quem miserum ac tristem mutationis dubiorúmque statum hæc cætera nobilis scientia redacta sit? Qua id ratione fiat, facili vobis negotio demonstratum eo. Magnæ auctoritatis Jureconsultus conclusionem quamdam statuens, eâ ceu fundamento nititur, ratus, illâ sibi fortassis sub idem tempus opus esse. Posteri eam velut aurum excipiunt, & invenientes in illa, quod ad dirimendam litem sibi adjumento fore arbitrantur, continuò eandem in Consultationes, ac Decisiones suas referunt, syllabo, eidem Conclusioni subscribentium, hunc in modum quot diebus crescente. En Legem sancitam! en Civitate donatam! Tot Auctores, scientiâ probè subacti, sic existimârunt, sic docuerunt; fierine potest, ut eorundem vestigia, quantum vires ferunt, prementes fallantur, atque circumveniantur? Hæc dein Opinio eousque obtinet, dum alius non minoris Auctoritatis Jureconsultus exsurgat, qui non suo duntaxat seculo, sed & alio victuris locuturus, suique memoriam ad seros Posteros transmissurus, libros

typis

typis excudi facit; & comperto, illam Conclusionem sibi esse fraudi, mox acuto ingenio suo eam impugnare omnibus remis, velísque contendit, statutâ eum in finem aliâ vel diversâ, vel contrariâ, quam multis argumentorum atque rationum momentis confirmat. Aliquo temporis intervallo alii sequuntur, ad quorum rationes & commoda hæc altera opinio magis facere videtur. Nec mora: eandem calculo suo laudantes, tantò plùs Auctoritatis conciliant, ita, ut Tribunalia posteriorem priori præferant. Verùm quousque tandem hæc immota stabit? dum alii priorem, malo suo si non omninò extinctam, certè altâ nocte & oblivione sepultam, in lucem denuò usúmque protrahant.

In vicem exempli ad hoc institutum serviat, quod de Raphaële Fulgoso, celebratissimi nominis Jurisconsulto, refertur. Superioribus, & quæ Fulgosum præcessêre, seculis nomine *descendentium masculorum* tantùm *masculi* descendentes ex *masculis* veniebant, exclusis cùm feminis, tum masculis liberis feminæ, tametsi per eam ex masculis descenderent. Hæc eâ adhuc tempestate erat *Opinio communis*, ùt in Bartolo, juniore Socino, juniore Riminaldo, Cravetta, Deciano, Ruino, pluribúsque aliis videre licet. Fortè accidit,

ut de Fideicommiſſo ageretur, ad quod *deſcendentes maſculi* vocati erant, quibus ultimo demùm loco pauperes Jri Codríque nepotes ſubſtituebantur. Hoc Jurisprudentiæ Oraculum non nemo, ad id adſpirans, conſuluerat, omni in potens illius auxilium ſpe poſitâ, qui perfectam Juris cognitionem haberet, ac leges in Clientum ſuorum gratiam proferre ſciret. Fulgoſus itaque in Conſilio quinto ſupra octogeſimum propugnavit, nomine *deſcendentium maſculorum* etiam maſculos deſcendentes per feminas à maſculis intelligi potuiſſe. Et quia Teſtatrix nec mentem ſuam aperuit, nec expreſſit, quòd per *deſcendentes maſculos* tantùm *maſculos deſcendentes ex maſculis* intelligeret, poterat ac debebat præſumi, ab illa etiam *maſculos deſcendentes ex feminis* vocatos fuiſſe. Profectò adduci non poſſum, ut credam, illius ætatis Judices pinguis adeò cerebri fuiſſe, ut tam bellæ rationi Fulgoſi acquieſcerent, quæ denique nihil aliud eſt, niſi ſophiſma; cùm multò magis præſumendum fuiſſet, Teſtatricem ſolos *maſculos deſcendentes ex maſculis* invitâſſe, quia ad id temporis, ùt diximus, denominationem *deſcendentium maſculorum* paſſim hoc modo intellexerant; eáque propter ſi illa in animum induxiſſet, *maſculos ex feminis deſcendentes* comprehendere,

hanc

hanc voluntatem ſuam exprimere debuiſſet, quod cùm non fecerit, rectè inferas, illos ab eadem excluſos fuiſſe.

Jam venite, adoremus nobilem rationem, qua uſus eſt Fulgoſus, probaturus, nomine *deſcendentium maſculorum* etiam *maſculos feminarum* deſignari. In Authent. *de Heredib. ab inteſt.* §. I. & II. dicitur: S*iquis igitur deſcendentium fuerit ei*, *qui inteſtatus moritur*, *cujuslibet naturæ & gradûs*, *& ſive ex maſculorum genere*, *ſive ex feminarum deſcendens.* Et paulò poſt: *Nulla ibi introducenda differentia*, *ſive maſculi*, *ſive feminæ ſint*, *& ſive ex maſculorum*, *ſive ex feminarum prole deſcendant.* Ex hoc ſequitur, ait Fulgoſus, *deſcendentes* etiam maſculos feminarum vocatos eſſe. Ingens mehercle mysterium hic Vir inter ſuos magnus nos docuit: quotusquisque veſtrûm ita rudis erat, ut id ante illum neſcierit? dein quam exorſus eſt, pertexit telam, dicens: proinde nomine *deſcendentium maſculorum non veniunt ſoli deſcendentes ex maſculis*, ſed etiam *maſculi deſcendentes ex feminis.* Verùm hæc eſt concluſio ſophiſtica, aliis haud abſimilis, quas committunt, quin tamen eos advertat, qui leges interpretantur, atque extendunt, quaſi per vim illas ad propoſitum ſuum pertracturi. A vero equidem minimè abludit,

 dit,

dit, nomine *descendentium* etiam feminas, earúmque liberos masculos, & feminas venire, quia reapse etiam illi ex stipite ascendentis descendunt, id quod lex quoque adfirmat. At Fulgosus vocibus permutatis inquit: ex quo consequitur, nomine *descendentium masculorum* etiam masculos feminarum venire. Hoc lex paulò antè memorata nequaquam dicit: hoc ex illa lege non infertur, sed Fulgosus duntaxat sophisticâ suâ subtilitate id inferre contendit: quotiescunque enim non simpliciter de *descendentibus*, sed de *descendentibus masculis* sermo est, his verbis restringentibus continuata masculorum series & stirps, à feminis non interrupta, intelligitur. Saltem hæc fuit communis interpretatio illarum vocum ad usque tempora Fulgosi, quemadmodùm aliàs memoravimus.

His juxta habitis sophistica Fulgosi doctrina invaluit. Et illáne minùs evincere, quæ Juris Interpretem auctorem habuit, in ipsa Consiliorum suorum fronte *Acutissimi* appellatione exornatum? Eandem Procuratores, causarúmque Patroni amplexati sunt, pro re nata in Clientum suorum gratiam ipsis adjumento futuram. Eandem & Judices haud gravatè ratam habuêre, ut, si necessitas postularet, *salvô officio*, alterius rem illi donare possent,

qui

qui ipsis magis in numero, atque amoribus esset. Quid multis? quotiescunque Fideicommissum Masculinum in contentionem venit, hic sanctus Pater (Fulgosum intelligo) pluribus aliis stipatus, qui postmodùm pro conditione vel proprii commodi, vel negotiorum suorum ejusdem vestigia pressêre, in arenam descendit. Et quin animo secum volutent, ùt oportet, quòd nullus Testatorum, descendentibus masculis aliam exteram personam, & longè magis Agnatos, substituens, unquam masculos ex feminis descendentes, utpote personas aliâ stirpe prognatas, & à se non cognitas, non prævisas, nec amatas intellexisse possit; eáque propter minimè fas est, hoc genus personas, à Testatore non adamatas, illis præferre, quas deperiit, vocavit, & voluit, ut in bonis ac facultatibus suis succederent. Missum dein facio, quòd, tametsi non rarò de Fideicommissis etiam ante Fulgosi Consilia, quæ Venetiis Anno post Christum natum 1576. typis excusa fuêre, vel saltem paucos post annos institutis actum sit; hodierni tamen Jurisperiti usum & exercitationem quarumdam decisionum, tot annis post Fulgosum emanatarum, in masculorum ex feminis descendentium gratiam ad illa tempora retrahant, ut quilibet illorum veterum Testa-

torum adſtrictus eſſet, ſubtilitates & argutias ſcire, Vatúmque in morem divinare, quòd certis Tribunalibus ſequentis, ac noſtri Seculi notio *deſcendentium maſculorum* in ſenſu longè diverſo ab illo, qui ſub Fulgoſi ætatem obtinebat, intelligenda ſit. Oportet temporis, quo tabulæ teſtamentorum conditæ ſunt, habere rationem, &, quid ſub id temporis per *deſcendentes maſculos* intellexerint, ſtudioſiùs expendere. In cumulum dein infelicis Juſtitiæ accedit, quòd, tametſi non obſtantibus phaleratis Cauſidicorum verbis, in ejusmodi caſibus non raro anceps ſit, utrùm Teſtatores verè ſolos *maſculos ex maſculis deſcendentes*, vel an etiam *maſculos ex feminis deſcendentes* vocârint; nihilominùs ſecundùm poſteriores intrepidè pronuncietur, quin vel minima ex parte Fulgoſum ſequerentur, qui Conſilio ſuo hanc coronidem impoſuit: *Non tamen eorum ſententiam improbavi, qui propter incertum voluntatis rem dignam compoſitione cenſuerunt.*

Quam ob rem quandónam ſapiens ille Princeps erit, qui in Provinciis, poteſtati ſuæ ſubjectis, cauſis forenſibus in hoc argumento obicem ponat, declarans, quibus in caſibus maſculi ex maſculis, & quando maſculi ex feminis deſcendentes (ubi de Fideicommiſſis, & ſubſtitutionibus agitur) ſucce-

ſuccedant? Ego ſanè tantùm mihi non ſumo, ut ſuggeram; ſiquidem Principibus nunquam Viri perfectæ cumulatæque doctrinæ deſunt, qui hoc jam nimis vagum argumentum, & ſuper quo hodie plus æquo contenditur, ad pauciores concluſiones, & arctiores terminos conſtringant. Profectò nequaquam fallentur, ſtatuentes, ut maſculi feminarum, ſi res ancipitis aleæ ſit, quis *deſcendentibus maſculis* ſubſtituatur, excludantur, ob ſolidam planè rationem, à nobis paulò antè prolatam, non eſſe ſcilicet præſumendum, quòd Teſtatores maſculos ex feminis deſcendentes amore aliquo proſequantur, quia illi ſunt ex alia ſtirpe, à Teſtatoribus pro more recepto nec cognita, nec amata, prognati; imò hæc ipſa ſtirps Teſtatori inviſa, ac malevola eſſe poſſet: attendendum inſuper ad manifeſtam illorum dilectionem in perſonas ſubſtitutas, & maximè ſanguine junctas.

Hanc ob cauſam paralogiſmi, & fallaces Fulgoſi concluſiones in caſu, ab illo in medium allato, inſuperhabendæ erant: Fulgoſi inquam, qui, quemadmodùm Decianus in Apologia Cap. XII. Num. 47. ſcribit, *ut pro ſubtili prædicaretur, more ſuo impugnabat veritatem in ſuis ſcriptis.* Et Joannes Franciſcus Gravina in Tract. *de Ortu & Progreſſu Juris Civilis* CLXIV.

 licèt

licèt ingenium & meritum Bartoli æquissimo jure ad Astra ferat, illius, inquam, Bartoli, qui tribus abhinc Seculis à Clarissimis Viris non nisi *Speculum & Lucerna Juris, Robur veritatis, Lumen humani Juris* honorificentissimâ compellatione dicebatur, in hanc tamen sententiam de eo loquitur: *Quò plus pollebat ingenio, eò majores sibi aliquando, aliísque tendebat ambages. Unde scholam Jurisprudentiæ instituit, acutam illam quidem, & forensibus Cavillationibus percommodam; flexuosam tamen, & ob inanem sæpè subtilitatem anxiam sanè & importunam. Unde Bartolinæ scholæ Interpretes, plerumque ingenio plurimùm indulgentes, exili quadam ex affinitate, discrepantia inter se non raró comparant, atque committunt. Contra verò sæpè ob leve quodlibet discrimen simillima quæque distrahunt, & à rebus aliquando alienissimis vaticinando, & ariolando argumenta ducunt, inque sententiis ferendis haud semper solent Auctoritatum atque testimoniorum habere delectum.* Et tamen Baldus discipulus Bartolum Magistrum subtilitate superâsse creditus est, cùm & ille non raró vel ingenii æstu, vel lucri cupiditate longiùs quàm par erat, à veritatis via abduci se passus sit. Verùm faxit Deus, ut ne nostrâ quoque ætate illarum Scholarum errores dominarentur, nec plures Allegationes,

tiones, & fortaſſis etiam Deciſiones, tam ingenioſo ad circumveniendos minùs perſpicaces, ac providos Judices, vel ad excæcandam incautam & imperitam plebem, penicillo elaboratæ invenirentur: adeò nempe nonnulli probè ſubtilitatibus ſuis uti, illísque, quæ ſuadere volunt, minimè tamen deberent, fucum addere, ſpeciémque veri affingere non neſciunt.



CAPUT V.

De Romanis legibus, & earum Interpretibus.

JUrisperitorum nemo eſt, qui, veterum eruditione nonnihil guſtatâ, etſi in eam ſe haud ingurgitavit, neſciat, collectas Romanorum leges, & in Digeſtis, Authenticis, Codice, atque Inſtitutis comprehenſas, ab Imperatore Juſtiniano Æræ Chriſtianæ Seculo ſexto fuiſſe promulgatas. Gothis dein ex Italia fugatis, Juſtinia-

nianus rerum potitus eſt, nobiliſſimo hoc regno in poteſtatem ſuam redacto. Quare non eſt dubium, quin eâ tempeſtate Italiæ populi illius legibus obtemperârint. Verùm non multum temporis abiit, cùm, ſublato è vivis Juſtiniano, Longobardi, Juſtino imperii habenas temperante, in Italiam ingenti numero effuſi (annus erat à ſalute humano generi reſtituta quingenteſimus ſupra ſexageſimum octavus) paullatim partem ejusdem maximam ſubigunt, ita, ut, ſi Exarchatum Ravennatem, Ducatum Romanum, & Neapolitanum, Venetorum Inſulas, aliásque maritimas urbes, quæ ſub Græcorum etiam Cæſarum imperio integræ, ac inconcuſſæ ſteterant, excipias, Longobardi omnem latè Italiam occupârint. His Romanas leges, quòd à gente inimica profectæ eſſent, reſpuentibus, varii illorum Regum Corpus Longobardicarum legum compoſuêre, quibus Francorum Reges alias atque alias adjunxêre.

Leges illæ poſtmodùm in Tribunalibus Italiæ eouſque dominabantur, dum ad calcem Seculi undecimi, vel certè ſub initia duodecimi ſtudium legum Juſtinianearum poſtliminio reſtitutum, Bononiæ introductum, atque in alias etiam urbes invectum fuit, eo felici ſucceſſu, ut Longobardorum leges ex improviſo antiquatæ fuerint.

rint. Nonnulli Jurisperiti, eruditione barbaræ ætatis leviter tincti, hìc in varios errorum labyrinthos inextricabiles incidunt: primò enim existimant, quòd Longobardorum irruptio atque imperium, à Regibus Francorum, vel subinde à Germanorum Imperatoribus continuatum, legum Romanarum usum in Italia sustulerit, atque abrogaverit. At certum & exploratum est, leges Romanas in Provinciis paulò antè memoratis, quæ Græcorum Imperatoribus tamdiu paruerunt, quamdiu Roma eorum potestati subdita erat, ac deinde sub Francorum, & Germanorum imperio, viguisse: quin etiam in Regionibus, ad Longobardorum Regnum spectantibus, siquis vel de gente Romana esset, vel eligeret, omnibus ac singulis, quotquot volebant, Justiniani legibus vivere fas erat; id quod maximè Ecclesiastici facere solebant. Ad hæc non Longobardi duntaxat, sed etiam Romani, id est, Romanarum legum periti, atque docti illa tempestate juri dicundo præfecti erant.

Quare à veritate alienum est, mox dictas leges barbaris Seculis in Italia penitùs eversas fuisse; imò ne quidem in Gallia & Hispania, ubi immensa penè Romanorum multitudo morabatur. Id solùm notatu

notatu dignum videtur, quòd Romani Judices magnam partem brevi legum suarum compendio, & potissimùm solo Codice, & Institutis usi fuerint. Hæc eo consilio dico, eoquòd inter tot antiquos, manu exaratos, Codices (exceptis Pandectis tunc Pisanis, & nunc Hetruscis sive Florentinis) quasi nullus alius supersit, qui Corpus legum Justinianearum amplectatur. Profectò antequàm inventa & ingenti litterarum bono exculta est Typographia, & Charta sive papyrus, justum volumen manu descriptum carò admodùm stetit.

Secundò qui studium Romanarum legum suscitatum credunt, ubi Pisani anno à partu Virginis millesimo centesimo quinto & tricesimo Amalphi suprà memoratum pretiosum Pandectarum, vel Digestorum Codicem asportârunt, haud solidâ nituntur ratione. Primus, qui hos Libros Bononiæ explicaverat, Irnerius fuit: quin ne certò quidem constat, Pandectas Pisanas Amalphi fuisse adlatas, quamquàm hæc traditio oppidò antiqua sit, cùm Seculo quarto decimo de iis mentio fiat. Tertiò ratione caret, quòd Lotharius II. Rerum Romanarum Arbiter circa annum millesimum centesimum sextum & tricesimum Longobardorum leges abrogârit, vel quòd aliquis Imperatorum id ævi leges Romanas per legem,

legem, hac solâ ferè causâ latam, confirmaverit. Post enim quàm Jus Romanum, nobilius certè atque excellentius Longobardico, Salico, & Bavarico, quæ sub idem tempus in Italia usu recepta erant, scholæ induxerunt, idem Jus Romanum è scholis in Tribunalia inferri cæpit: quæ causa fuit, cur aliæ barbaræ leges sensim pro temporum vicissitudine abolitæ fuerint. Adfirmant præterea Viri eruditionis laude inclyti, nullam ex Itala gente, dum leges Justinianeæ resurrexerunt, adstrictam fuisse, ut iis legibus viveret, vel iisdem morem gereret. Et in hoc dicunt, quod res est; Seculo enim sexto Græcorum Imperatorum imperium in universa penè Italia corruit; & Seculo octavo etiam Romæ: & in Exarchatu expiravit: è quo consequitur, observationem legum, ab illis promulgatarum, priùs in potestate atque arbitrio populorum sitam fuisse, qui pro consuetudine, & non urgente obedientiâ iisdem usi sunt, vel sponte suâ illas post tot annorum intercapedinem in Tribunalia sua revocârunt.

Dum igitur Italiæ civitates hac libertate fruerentur, & liberarum civitatum more insuper leges suas Municipales habendi privilegio gaudere vellent, quælibet illarum proprias leges sancire cæpit, dimissis, ubi

ubi vel eorum Sapientibus ac Senioribus, vel illorum voluntati melius visum, Justiniani Constitutionibus, ac novo ordine in successionibus, Pactionibus, pœnis, dotibus, & aliis id genus frequentioribus humanæ societatis casibus inducto, aliísque variis regulîs, quæ in Corpore antiquarum legum non continebantur, adjunctis. Has leges municipales nos statuta vocamns, quorum major pars potissimùm seculis quinto decimo, & sexto decimo perfectionem, Auctoritatémque, ipsis etiam Justinianeis legibus majorem, acceperunt. Et hæc tantùm obtinent, atque in Tribunalibus vigent, quantùm vel consuetudo exigit, ut in casibus, quibus per statuta non est cautum, ad verba legis civilis confugiatur, vel eadem Statuta dissertis verbis id decernunt.

Jam volupe est, ingentem Doctorum Juris audire chorum, qui passis velis in laudes Corporis legum Justinianearum excurrentes, ejusdem & excellentiam, & justitiam, & subtilitatem verbis extollunt amplissimis. Celeberrimi Imperatores, & primæ notæ Jurisconsulti omnes illas leges vel rogârunt, vel selegerunt, ita quidem, ut nemo unus earum æquitatem, justitiam, ac judicium satis admirari valeat. Quare & ego in legum illarum scriptores lætus lubéns-

bénsque omnes laudes congero, cùm reapse non egregia modò principia sed etiam regulas de Justitia, & singulares causas summa cum prudentia decisas complectantur. Verùm haud ita facilè concesserim, ut hæc talis collectio palmarium naturæ juxta ac artis opus esse credatur: siquidem recto judicii oculo rem æstimanti patebit, in illa quasdam dari leges, quarum una alteri adversatur. Certè tot civitatum Italiæ statuta, cujus indigenæ ùt plurimùm prudentiâ præditi, & in legibus probè exercitati esse censentur tot támque diversis, imò & contrariis, quas condidêre, constitutionibus sat declarârunt, quanti Imperatoris Justiniani laborem ac operam facerent. Nec id tantùm in materiis, à sola Legislatoris voluntate dependentibus, contigit, qui de eodem negotio pro potestate sua contrariâ prorsùs ratione statuere potuisset, quin S. Themidem vel læderet, vel offenderet; sed in aliis quoque, ubi cum æquitate magis congruere, & in majus Reipublicæ commodum cedere arbitrabantur, si ab antiquis legibus discederent.

Adde, quòd & morum & regiminis mutatio ansam præbuerit, ut plurimæ illarum legum ad nihil aliud conferant, nisi ad ingentia Justinianei Corporis volumina

necquicquam augenda. Magiſtratus, & Præfecti, quorum ibi tot leges meminerunt, eſſe deſierunt. De ſervis, Manumiſſionibus, libertis, libertinis, Colonis, aliíſque Agricolarum generibus, qui magnam legum partem in illo Corpore conſtituunt, inter nos admodùm nihil audias. Patria poteſtas non ampliùs, quam id ævi habuit, hodie vim obtinet. Inſuper Jus Canonicum non paucas illarum legum virgulâ cenſoriâ notavit, caſtigavit, atque penitùs abrogavit; & ſic de aliis, ita, ut, ſi tot ſuperfluæ, ac inutiles materiæ ex vaſtis Voluminibus expungerentur, quæ non modò multis lectoribus terrorem faciunt, ſed etiam à plurimis Doctorum noſtrorum vel nunquam, vel certè non à capite ad calcem, quod ajunt, evolvuntur, maximam inde proceſſuram eſſe utilitatem arbitremur.

Quid jam de Novellis, & Authenticis dicam? Non deſunt Viri ſapientiâ præſtantes, qui, multas leges iiſdem contrarias, quas priores Libri præſcripſerant, & non rarò minùs æquum, vel omninò iniquum æquo, præcipuè in ſequioris ſexûs gratiam, ſubſtitutum invenientes, Juſtiniano id vitio vertant. Atque ex hòc, ut tot alias obſervationes circa mortalium opiniones taceamus, occaſionem dicendi nacti ſumus,

Juſti-

Justitiam rem cognitu sané difficilem esse, eòquòd legem, quæ hodiernâ luce nobis bona ac justa videtur, crastinâ malam esse judicamus, diverso planè judicio. Id porrò in comperto habemus, in ipsis Novellis, atque Authenticis plùs quàm aliis in locis insolenti numero Constitutiones dari, quæ nihil ad rhombum, & hodiernum Forum faciunt, nullo negotio ab ingenti Romanarum legum farragine resecandæ. Omnes equidem ob antiquam eruditionem magno in pretio habendas esse haud diffiteor: verùm eò nostra potissimùm tendunt consilia, ut in id investigemus, quod Judicibus ad decidendas causas forenses, minimè verò ad ducendam in Eruditorum Academiis pompam ac speciem, invicem regulæ serviat.

Eam ob rem quosdam litteratorum neutiquam maligno calamo, aut theonino dente perstringendos, quin summâ potiùs laude dignissimos censeo, qui Justiniani Novellis alias vel priorum Imperatorum, vel certè posteriorum Cæsarum, à Justiniano neglectas, addiderint, atque nobile Opus Theodosiani Codicis suscitaverint. Id omne, repeto, insigne Eruditionis patrimonium est, quod tamen ad usum, & institutum Fori minimè facit, eò maximè quòd hoc genus Novellæ nullam vim atque

virtutem secum adferant, nec Theodosianus Codex Judices, ac Italiæ populum, ut earundem tenorem atque argumentum sequantur, cogere valeat. Hoc ita constituto, qui inutiles hasce merces Justinianearum Authenticarum Codici inseruit, non modò nullum hodiernæ Jurisprudentiæ præstitit officium, sed & librum illum Doctoribus nullâ eruditione instructis, & ejuscemodi additamenta nihil morantibus difficiliorem, atque incommodum magis reddidit.

Primi dein, qui in Justinianeas leges Commentarios scripsêre, suscitati Juris Interpretes, nempe Irnerius, Martinus, Bulgarus, & ante alios Accursius, fuêre, quorum tanquam celeberrimorum Magistrorum ea olim apud omnes erat veneratio, ac reverentia, ut illorum nomen non nisi aperto capite exciperetur. Fateamur necesse est, utiles notas esse, ac grande Jurisprudentiæ fundamentum continere. Vetustas credebat, post easdem leges ejuscemodi Commentariis haud exiguam competere Auctoritatem: verùm alii posteà Doctores, illis primis Commentatoribus non tantùm non inferiores, sed etiam superiores sese existimantes, dictas leges, ubi ad eorum ingenium se non componebant, Commentariis dilucidare & ipsi aggressi sunt, idque

ídque alios quoque docuêre. Agedum quod privilegium, ajebant, primis illis Magiſtris ſupra cæteros competebat, poſt aliquod temporis intervallum orbi natos? An deinde in illis Commentariis, præcipuè magnam inter & parvam Gloſſam antilogiæ occurrant, rem omnem ad arbitrium, & examen aliorum confero. Mihi minimè latet, Accurſium, earúmque Auctores, ſub ea Secula viventes, quibus antiqua & recondita Eruditio æquè parùm nota erat, ac India Occidentalis, non rarò apinas, puerilésque ineptias vendere, maximè ubi verba quædam, ac ceremonias, ſeu ritus explicant, quorum notio atque intelligentia ab illa Eruditione pendet, quæ ſub id temporis denſas inter tenebras ſepulta, à duobus autem retrò Seculis in apricum protracta, per viros Juris conſultiſſimos haud infeliciter culta fuit, id quod paucis confirmatum eo.

L. Vel ſi vides ff. de Impenſis agitur de impenſis à marito in bona dotalia factis, & ſequentes neceſſariæ ſunt vocatæ: *Si vites propagaverit, vel arbores curaverit, vel ſeminaria pro utilitate agri fecerit.* Accurſius aſſerit, ſub nomine *Seminarium,* Granarium, ſeu locum venire, ubi frumentum ad ſpargendam ſementem reponitur. Verùm Gothofredus, ut plures alios ſilentio

premam, animadvertit, per *Seminarium* intelligi plantarium, ſeu locum ſubactum, in quo ſemina vitium aut arborum ſparguntur, vel plantantur, ut, cùm radices egerint, inde ſtipites in aliud ſolum transferantur. Accurſius etiam *L. item ſi fundi* §. *Seminarii ff. de Uſufructu* confundens docuit, Uſufructuarium eſſe dominum ſeminum, ita tamen, ut ea renovare teneatur, cùm verba legis tantùm de plantariis, ſeu locis ſubactis loquantur. Eodem prorsùs modo *L. Poſſideri* §. *item feras ff. de acquirend. vel. amitt. poſſeſſ.* ubi de feris mentio infertur, *quas vivariis incluſerimus*, Accurſius exiſtimavit, ſub nomine *vivarium* intelligi locum anguſtum, à ſilvis muro cinctis, queis feræ includuntur, longè alium. Verùm næ ille nimio opere ſe fefellit: nam *Vivarium* idem eſt ac theriotrophium, ſeu receptaculum mœnibus munitum, cui ſelectiores feræ vel cicuratæ, vel cicurandæ in ſpectantium voluptatem includuntur; sitne dein parvum, an magnum, parùm vel nihil refert. Feræ, in illud coactæ, ſunt noſtræ ad differentiam aliarum, quæ per operta ſilvarum, & opaca ſaltuum liberæ errant. In eam ſententiam alii Jurisconſulti concesſêre, contra quos Grozium, Puffendorffium, alióſque videas.

Fruſtra

Frustra sim ego, si dicendo persequi singillatim omnes id genus errores velim, in quos Accursius, aliique veteres Doctores nostri vel antiquæ eruditionis defectu, vel legum obscuritate, vel ipsorum textuum, à rudibus Librariis corruptorum, causâ lapsi sunt. Majorem hac super re lucem Lectori affundere poterunt Opera nominatissimi toto orbe Cujacii, Antonii Fabri, Dionysii Gothofredi, aliorúmque, qui Jurisprudentiæ antiquam eruditionem pulcherrimo nexu copulantes, sat perspicuè declarârunt, quàm improprio & diverso à vero sensu Leguleji nostri non paucas, in Digestis & Codice contentas, leges sint interpretati. Præ aliis autem videndum censeo, qua ratione doctissimus Buddeus in primis Annotationibus ad Pandectas Accursii Commentarios examinârit; quo de etiam Josephus Aurelius di Gennaro Clarissimus Jurisconsultus Neapolitanus in ingeniosa sua fictione, cui titulum præposuit: *Respublica Jurisconsultorum*, legatur, ubi audaciam illius quoque Interpretis manifestam facit, qui nonnunquam celebres Seculi secundi, & tertii Jureconsultos, quin ipsum adeò Imperatorem Justinianum, pro eo, ut Tribonianum diceret, acerbo risu ac sannis excipere non dubitavit.

Reponi poteſt, haud inficior, errores, in quos Accurſius, & non pauci alii Juſtinianearum legum Interpretes inciderunt, iis haud impedimento fuiſſe, quò minùs Viri in Jurisprudentia magni inter ſuos nominis cenſeantur, quales haud dubiè etiam Azonem, Bartolum, Baldum, tótque alios extitiſſe fateamur oportet; cùm iſti errores non ex Jurisprudentia, ſed ex Hiſtoriis proficiſcantur. Nec Apelles nobilis eſſe pictor deſiit, quem penicilli peritia toti orbi mirum commendaret, tametſi Gerdonum non nemo accutiùs videns, in crepida eundem damnârit. Eam ob rem exigui hi nævi, quorum Accurſius reus agitur, nunquam famam ac gloriam hominum ſermonibus celebratiſſimi legum Interpretis infuſcabunt.

Interea blateronibus, ac dicacibus quibusdam, qui duobus extremis hiſce Seculis Accurſium probris proſcindere, vel contemptore ſupercilio deſpicere non ſunt veriti, verba Joannis Vincentii Gravina, nominis celebritate inſignis, *de Ortu & Progreſſu Juris Civilis* Cap. CLIV. de illo in hanc ſententiam ſcribentis dicta velim: *Quò magis*, inquit, *mihi ſtomachum faceſſit eorum inſolentiáne dicam, an immanitas? qui, quum ejus lectione legum ſenſus levi labore*

bore adipiſcantur, ubi tamen aliquid nubeculæ ab eo relinquitur eorum eruditione diluendum, feroces victoriâ ſtatim perſtrepunt, & cachinnos tollunt; nec verentur Viro de illis, ac de poſteritate optimè merito, temporum caliginem vitio vertere; ſibi verò laude ducere naſcendi ſortem. Quæ autem inhumanitas eſt ei, qui facem prætulit in tantis tenebris Juris Civilis, qua ſine face vel eruditiſſimi novorum Jurisconſultorum oberrâſſent, vitia illa nolle condonare, in quæ decidit, non propter Juris Civilis ſcientiam, ſed ob imperitiam Hiſtoriarum, & Latinæ proprietatis ſibi ab ætate illa denegatæ; quum tamen, iis etiam præſidiis ſpoliatus, ingenii acie non raro collineet, ut non tam ejus errores exagitare, quàm paucitatem illorum in tam crebris peccandi periculis, lubricíſque locis admirari debeamus.

Hæc ad excuſandum Accurſium dixiſſe nobis ſufficiat. Cæterùm veritati nullo non tempore conſonum erit, Eruditionem, ac latii ſtudium cum Hiſtoriarum notitia plurimùm conferre, ut quis in perfectum, & numeris omnibus abſolutum Jurisconſultum abeat, quod ipſe Cardinalis de Luca confirmare nequaquam dubitavit, idque eò magis, ubi de vero antiquarum latinarum legum ſenſu res eſt, in quo eruditi po-

ſteriorum Seculorum Jurisperiti, & inprimis Cujacius, Vir omni comparatione major, priorum Seculorum ignorantiam per juſtos magis Commentarios, & certiores interpretationes, quas ab illis ſuper antiquorum Cæſarum, atque Jurisconſultorum mente accepimus, ſupplevêre.

Verùm enimverò præcipuus Jurisprudentiæ nævus, repeto, in antiquæ eruditionis defectu minimè conſiſtit, cùm hæc tantùm ſit appendix, quæ ſcientiam illam egregiè ornare valeat, ita, ut quis etiam illâ deſtitutus de æquo & iniquo rectè judicare poſſit, & inſignis Jurisconſulti nomine donari mereatur. In hoc rei cardo vertitur, quòd, ex quo Irenerius, aliique ejusdem ſucceſſores Seculo duodecimo in Bononienſi Academia leges Romanas explanare ſunt aggreſſi, mox eas ad arctiores terminos reducere, & exceptiones in medium proferre occeperint, quod ea potiſſimùm ratione factum eſſe exiſtimo, cùm quòd ſub idem tempus legum ſacratarum catenis non conſtringerentur, tum quòd earundem verbis in pluribus caſibus non pauca obſtare crederent. Hos labentibus Seculis alii ſecuti, novos iis poſuêre limites, vel certè extendêre, ita, ut antè memoratas leges alii aliò traherent: quo factum, ut

ut legum ſtudium paulatim in illud immane ambiguarum quæſtionum, ac Concluſionum chaos redactum ſit, cùm pars ajens juxta ac negans ſententiam ſuam rationibus, & Auctoritatibus, quarum altera alteri adverſatur, ac opinionibus plerumque prorsùs diſcordibus firmaverit.

Nec mirum eſt, tantam in hac diſciplina opinionum pugnam exarſiſſe; id enim naturaliter conſecutum eſt, nec ſeciùs fieri poterat, ex quo Jurisperiti ad ſenſum & verba, multóque magis ad legum intentionem enodandam, & ipſas etiam leges ad Juſtitiæ libram, ut ita dicam, expendendas animum appulerunt, obſervaturi, num illæ modò huic, modò illi caſui accommodatæ, an juſtæ vel rigidæ, an improvidæ, vel iniquæ forent. Quod duo cumprimis diverſa Jurisconſultorum agmina, Interpretes nempe, ac cauſarum Patronos delaſſavit. Ad priores quod attinet, neſcio ſanè, majoréne prudentiâ, dicam an libertate ii argumentum legum examinârint, & cùm invenirent, vel inveniſſe ſibi viderentur, quòd lex quædam generalis in certis determinatíſque caſibus haud juſta eſſet, illíque regulæ inhærerent, majorem nempe mentis, Legislatorúmque intentionis, quæ ſemper prudens, ac juſta eſſe

esse censetur, quàm verborum habendam esse rationem, sæpenumerò decreverunt, in tot tantísque casibus vel ob adjuncta, vel ob diversas personarum, factorum, locorum, atque temporum qualitates modò hanc, modò illam legem obtinere haud posse. Quæ causa est, cur inde plurimæ legum circumscriptiones fluxerint, quas ex intervallo non pauci subsequentium Jurisperitorum tanquam leges accepêre. Alii quoque ultimis hisce Seculis legum verba corrigere, & ipsas leges pro arbitrio detorquere haudquaquam sunt veriti. An porrò tam multæ istarum interpretationum potiùs corruptiones dicendæ sint, ii, velim, hanc rem arbitrentur, qui brevem Philippi Lietnei Tractatum sequenti titulo notatum lectitando contriverunt: *Defensio Justinianea, hoc est, demonstratio errorum hujus Seculi Jurisconsultorum, qui sub prætensa legum interpretatione, & veræ lectionis restitutione, Jura Cæsarea corrumpunt, mutilant, & depravant.*

At intra hos fines Advocatorum, quos nobiles scientiarum suarum negotiatores haud injuriâ dixeris, furor nequaquam stetit. Fœcunda horum rabularum ingenia ad omnium causarum patrocinium in sesuscipiendum, & quamlibet doctrinam magnâ

con-

contentione defendendam, impugnandámve, ùt Clientûm ſuorum neceſſitas flagitat, ſemper parata, mille diſtinctiones, & infinitas penè circumſcriptiones excogitârunt, queîs vel contrariarum legum vim eluderent, vel eas materiæ, qua de diſceptatur, aptari haud poſſe, vel omninò iniquas eſſe demonſtrarent: quid quòd religioni ſibi neutiquam duxerint, mox dictas leges pro re nata relaxare, atque amplificare. Sanè mirum videtur, quî velint, ut hoc axioma, ſeu effatum in una cauſa valeat: *Ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*; quin eos advertat, quòd illud in tot aliis tanquam ridiculum planè imperitè rejiciant, ex *L. Non diſtinguemus ff. de recept. arbitr.* depromtum, quæ nullam ejus mentionem facit. Ad hæc nunquid & ipſi quot diebus arctiores tot legibus ſtatuunt terminos? Quid autem aliud eſt arctiores legibus terminos ſtatuere, niſi diſtinguere caſus, in quibus lex non obligare creditur, ab iis, in quibus obligare cenſetur? Nec jus illas leges, quibus Juſtitia oppugnaretur, ſi in omni rigore acciperentur; ſine aliqua exceptione verbis generalibus propoſitas arctioribus finiendi terminis negari poteſt.

Videatur exempli cauſa *L. 19. ſub prætextu C. de Transactionibus*, qua Diocletia-

tianus, & Maximianus, Romani Imperii Moderatores, ita ſanxerunt: *Sub prætextu inſtrumenti poſteà reperti Tranſactionem bonâ fide finitam reſcindi, jura non permittunt.* Lex hoc modo lata in aliquo caſu juſta erit. At non magnæ difficultatis res foret, non rationibus duntaxat, à natura duce petitis, ſed aliis etiam oppoſitis legibus, errores voluntarios minimè probantibus, atque reſtitutionem *in integrum* concedentibus, probare, hanc legem cum juſtitia neutiquam eſſe conjunctam. Legantur variæ leges in Codice *tit. de Juris & facti*, & præcipuè *L. 4.* ubi dicitur: *Si poſt diviſionem factam teſtamenti vitium in lucem emerſerit, ex iis, quæ per ignorantiam confecta ſunt, præjudicium tibi non comparabitur.* Si ortâ Creditorem inter & Debitorem lite, bonâ fide pactionem inter ſe conflant, & ſecundùm hæc, non dicam inſtrumentum quoddam, ſed vera tantùm emergat apocha, æs alienum jam fuiſſe diſſolutum: ad quod Tribunal creditus debitor, qui talis non erat, idque tantùm ob pactionem, ſeu tranſactionem, & errorem tam excuſabilem, re non ampliùs integrâ confugiat? Tametſi hic per ſententiam Judicis ſolvere debuiſſet; nihilominùs ſi poſtmodùm manifeſtum fiat, æs alienum jam diſſolutum fuiſſe, Principes nullâ habitâ

ratione

ratione legis *ſub ſpecie C. de Re judicata*, eodem vitio laborantis, ſalutares adferent manus, atque, ut eundem indemnem præſtent, omni ſtudio contendent: Eccur idem non fiat, conflatâ etiam pactione, ſeu tranſactione? Errorem committens nunquam tenetur, qualiscunque ſit actus, ut faciat; nec creditor, cui jam ſatisfactum, ſalvis legibus, ac *tutâ conſcientiâ* petere poteſt, ut denuò, etſi in minori ſumma, ſolvatur. Non ita res ſe habet, ſiquis factam ritè pactionem impugnare velit, læſionem cauſatus: nam in hoc rerum ſtatu pars aures non præbent; pars contra pactionem ſic factam, ipsámque legem propugnaturi hunc ferè in modum diſtinguunt: Vel enim læſio, ajunt, quæ inde ortum ducit, levis eſt? & tunc pactio impugnari nequit: vel læſio eſt enormis, & maximè enormis? tunc illa reſcindi poteſt. Videatur eâdem ratione *L. 1. ff. de his, quibus ùt indignis hereditates auferuntur*, qua cautum eſt, ut Heredes, *quos necem Teſtatoris inultam omiſiſſe conſtiterit*, hereditate priventur. Hanc legem Imperatores execrandis ethnicorum ſuperſtitionibus infecti rogârunt, quam Cæſar Chriſto inauguratus (veriùs dicam) magnus ille Tribonianus, Sacrarum Evangelii legum probè peritus, libris ſuis inſerere nequaquam debuiſſet. Plures

Plures hoc genus leges dantur, dignissimæ, ut proscribantur; id quod, alias rationes ut taceam, Philippo Burchard, è Germana gente Jurisconsulto, ansam præbuit librum *de hodiernæ Jurisprudentiæ nævis, & remediis* scribendi. Verùm non id specto, ut insigni Justinianearum legum Corpori fidem abrogem, cùm sine ingrati animi vitio, atque injustitiæ notâ nemo inficiari queat, in eo amplissimum & incomparabilem luminum præceptorúmque Thesaurum, ad cognoscendum, usúque exercendum æquum, & iniquum fugiendum contineri; sed ut tantùm declaretur, mox dictum Corpus multas supervacaneas, atque contrarias leges, & Decreta nunc reprobata comprehendens non modò corrigi posse, sed fortassis correctione etiam indigere, majore fructu in universam ætatis nostræ Jurisprudentiam redundaturo.

Oportet igitur dicta dicere, quòd nempe in plurimis casibus ob varia adjuncta æquitati summè consentaneum esse possit, si à legum rigore, earúmque generali nimis mandato recedamus. At exploratum quoque habemus, abusum neutiquam ferendum esse, omnémque modum excedere, quòd Causidicorum, alios ex aliis impugnantium, maximè subtilitas legem tot ex-

ceptio-

ceptionibus, reſtrictionibus, atque amplificationibus conſperſerit, ut Jurisprudentia in vaſtam ac horridam diſcordiarum, antilogiarúmque ſilvam abierit, adeò quidem, ut in infinitis propè caſibus haud compertum nobis ſit, quo fundamento nitámur. Tametſi autem eam ob cauſam tot *Cautelæ* ſint introductæ, ut Cepolla, aliíque plura volumina confecerint, minimè tamen ſufficiunt ad tot pacta conventa, teſtamentorúmque tabulas à litibus immunes reddendas.

Hoc chaos Eminentiſſimum Cardinalem de Luca, licèt cæterà Jurisprudentiam eximiâ laude ornet, haudquaquam latuit, qui in *Conflict. Legis & Rationis* Lib. I. Cap. VIII. ita ſcribit: *Adeò iſta legalis facultas, ob tantam opinionum, & legum particularium, ac ſtylorum varietatem involuta, incertáque reddita eſt, ut vix peritiſſimis, provectíſque Profeſſoribus diu in Foro verſatis, promta & facilis hæc notitia detur.* Sed & hoc, ſi rem omnem fateri voluiſſet, illorum vires ſuperat. Et iſtud malum, poſtquàm Juriſconſultis diu magno ſtudio eſt elaboratum, non tantùm non minuitur; verùm etiam indies immane quantùm augetur. Quis non videt, ob id in Republica ſumma imis miſceri, ejuſdémque ordinem

dinem graviter perturbari? & ſiquidem videt, quis non omnibus votis ſuſpiret, ut huic malo, ſi tamen facultas ferat, ſalutares adferantur manus?

Ad Deciſiones quod attinet, major procul dubio iis debetur æſtimatio, ac reverentia, quàm Cauſidicorum conſiliis, & teſtimoniis, etſi ea plerumque abundè in legalibus ſcripturis videamus, & Conſilia Baldi atque Ruini olim magno in pretio habita fuiſſe conſtet. Verùm & hìc ad diſtinctiones quasdam, & reflexiones animum advertere oportet: Deciſiones enim, quæ tantùm ab uno Judice fluunt, parùm vel omninò nihil ab Advocati conſultis differre exiſtimentur: majore autem longioréque conſideratione dignas arbitror, quæ à variorum Judicum Conventu proficiſcuntur, & multò magis ſi Judices in magnis & excelſis Tribunalibus (talia cenſentur ſuprema Pontificis Curia, præcipuarúmque Urbium Senatus) ſint conſtituti. Attamen & hìc ſive error, ſive abuſus in lucem proferendus eſt. Non omnes Deciſiones Romanæ Curiæ in iis cauſis res judicata, ſeu ſententia ſunt: ſiquidem non rarò id legimus, quod una pars illius Curiæ decidit, minimè gnari, quam altera ſententiam tulerit; quia in Recentiorum Corpore, & multò

multò minùs in iis singularium Auditorum non omnes, quotquot in eadem causa emanârunt decisiones, leguntur. Adhæc ipsa Romana Curia non rarò palinodiam cecinit, vel contra illas decidit. Nec desunt, quæ infirmis argumentis, ac futilibus rationibus nitantur: nam ùt trito sermonibus circumfertur proverbio: Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi. Insuper Decreta hujus cætera tam nobilis, ac omni honore dignissimi Tribunalis sæpenumerò inter se discrepant; quam in rem de Luca, Sacrâ Romæ Purpurâ insignis, videatur, qui multa in ejus commendationem nascituris scripta reliquit, ita tamen, ut & ejusdem nævos magnâ ingenii dexteritate perstringat. Eáque propter hodie quasi nullam in Foro videas Decisionem, quæ non in contentionem, ac quæstionem vocata sit; & cùm in hoc fluctuanti humanæ Justitiæ mari judicia adeò sint incerta, ut eam quilibet docere, vel defendere arbitretur, eandem sicut mollissimam ceram, ùt res fert, & necessitas exigit, arbitratu suo fingit, idque æquum esse existimat, quod sibi hujusmodi videtur, aliis uno eodémque tempore idem negantibus, atque contrarium sentientibus.

Christophorus Besoldus multæ inter Germanos eruditionis Jureconsultus, postquàm Dissert. II. *de Præmiis* &c. nostræ ætatis Jurisprudentiam prolixè commendatam à dentata aliorum charta defendit, Cap. VIII. §.X. pessimas sequelas his verbis deplorans: *Sanè tanta*, ait, *nunc ubique Juris, legúmque multitudo, & exinde nata confusio est, ut nullum unquam fuerit Seculum ab initio mundi, nullum aliud adbuc hodie Regnum, vel Respublica sit, ubi sub specie Juris magis periculosè erretur, ita Justitia opprimatur, rerúmque judicatarum executio impediatur, quàm nunc fieri solet, postquàm Jus renatum, & quasi è cœlo delapsum esse nobis imaginamur. quàm iis in locis fieri consuevit, ubi Juris ratio & scientia florent magis, magísque vivida esse deprædicatur.* Si hoc pacto Jurisconsultis, qui doctrinâ liberaliter instructi istam scientiam profitentur, loqui licet; quis mihi vitio vertat, si eâdem prorsùs ratione loqui ausim?



CAPUT.

CAPUT VI.

De Difficultatibus Æquum, & iniquum in plurimis casibus cognoscendi.

POstquàm de Jurisprudentiæ nævis dicendi provinciam in me suscepi, mea certè fuit semper hæc in hac re voluntas & sententia, ut majorem, si tamen fieri posset, inter nos justitiam, injustitiam verò procurarem minorem. Verùm gemitus inter ac suspiria fateri nunc oportet, in hoc rerum statu, ab illo longè diverso, in quo DEUS O. M. primum hominem creaverat, humanæ naturæ negotium multò difficillimum esse, id, quod æquum est, aperire, atque cognoscere. Vetustas malè credula, & fabularum commentis, suprà quàm dici potest, dedita, confinxit, Astræam terras, mortalium sceleribus turpiter pollutas, reliquisse, & denuò ad Superos migrâsse. Ego, eandem adhuc incolere hasce terras, firmiter mihi persuasum habeo, Cimeriis tamen involutam tenebris,

ita, ut iis tollendis non rarò ne quidem veri Amatores, ac Justitiæ investigatores sufficiant, id quod & ratio, & experientia nos docebit.

Nemo in dubium vocare præsumat, quin certæ notiones universales illius, quod *Æquum* aut *Iniquum* dicimus, in homine dentur, vel à DEO cum ideis, à natura insitis, impressæ, vel à ratione, cuilibet promtâ & facili, formatæ, ita quidem, ut necesse haud sit ad revelationem confugere, id est, quid lex Divina nobis vel imperârit, vel prohibuerit: futurum enim fuisse arbitror, ut homines non modò plurimis atque optimis artibus ornati, verùm etiam rudes, ac litterarum prorsùs expertes quique cognoscerent, quòd exempli causâ adulterium admittere, hominem interficere, alterius facultates eripere &c. actiones malæ sint; quia hæc, cùm sint intrinsecus mala, latere neminem possunt. Sufficit, nos tales actiones secundùm illam nobilissimam regulam, à DEO nobis traditam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, demetiri, ut continuò intelligamus, quòd, quemadmodùm ille in nos delinqueret, qui facultates nostras per vim nobis ereptum iret; sic & nos in proximum delinquamus, eidem fortunas suas auferentes, in quas nobis jus nullum est: facilè, inquam, quivis,

quivis mortalium discernit, quòd in hujusmodi actionibus injustitia, & non justitia, quæ definitur, quòd sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, atque adeò quod ex eo consequitur, nulli jus suum auferendi*, locum habeat.

His generalibus Justitiæ ideis homo in plurimis negotiis, quæ ad jus naturæ & gentium spectant, instructus esse solet, quin scholarum subsellia premat, ac in iis diu multúmque desudet. Et id genus cognitiones ad plurima in materia de Contractibus, de mutuis hominum officiis, de Corporis & famæ læsionibus, & his similibus cognoscenda sese extendunt. Nec Doctoribus atque Magistris opus est, ut intelligamus, os aliis oblinere, nomen Domini DEI in vanum assumere, vel sacrilega convitia in DEUM evomere, existimationem alicujus oppugnare, arcana consilia cum hostibus communicare, & ejus rationis alia esse actiones suopte ingenio nefarias atque iniquas, ac proin dignissimas, ut in hominum societate pœnis in eas animadvertatur, & generaliter loquendo semper peccato obnoxias.

Aliæ dein dantur actiones, quæ eatenùs sunt justæ, vel injustæ, quatenùs vel à Jure positivo Ecclesiæ, vel à profanis Princi-

cipibus sunt imperatæ, aut prohibitæ. Hujusmodi sunt etiam plurimæ leges civiles, & Civitatum statuta, quæ, quid in bonorum dominio, successionibus, & Contractibus facto opus sit, docent, vel hoc aut illud facere vetant. Plurimas ejusmodi leges id ipsum imperâsse, vel prohibuisse constat, quod, ùt diximus, nobis Jus naturæ, ac Gentium imperavit, aut prohibuit. Alias porrò leges sola voluntas & prudentia Legislatorum sancivit, prout scilicet ad Reipublicæ emolumentum conducere videbatur, ita, ut etiam contrarium, si voluissent, statuere potuissent.

Jam leges primariæ Æqui & Iniqui sunt regulæ universales, & si in universalitate sua considerentur, nemo certè honestus ac sanâ ratione præditus erit, qui non confestim elegantiam, turpitudinem, vel defectum cognoscat. Verùm istæ leges ad id, quod in universali regula tam dilucidè observavimus, nobis in omnibus singularibus casibus commonstrandum nequaquam sufficiunt, vel eò maximè, quòd in ejuscemodi casibus tam fortia ac firma adjuncta concurrant, ut, quod priùs æquum & bonum esse arbitramur, iniquum & vitiosum fieri possit; id verò, quod iniquum & malum erat, hujusmodi esse desinat. Defectus

ctus voluntatis, ignorantia, timor, & publicæ rei bonum has metamorphoſes in ſecundo ordine; malitia autem voluntatis cum aliis cauſis, quas tacitus prætereo, illas in primo procreare valent.

Apud omnes in confeſſo eſt, miſeris opem ferre, ſtipem conferre in egentes laudabile piúmque eſſe. Sed reprehenſione ac pœna dignum erit, ſi id ex inhoneſto, atque perverſo fine fiat. E contrario alium violentâ mortis falce è medio tollere, omnes nullo negotio malum eſſe agnoſcunt: ſi verè propriæ vitæ defendendæ causâ eum occideris, qui necem adlaturus te invaſit, juſtitiam minimè deſerere cenſeris. Pari ratione nec Principes, nec Judices, qui facinoroſos capitis damnant, nec ſententiam executioni mandantes, illóſque ultimo adficientes ſupplicio, fines æquitatis tranſeunt. Si adjuncta tanti roboris ſunt, ut ipſas etiam leges naturales mutare queant; haud dubiè faciliùs contingere poteſt, & reipſa contingit, ut illæ ipſæ in eas leges, quæ ab arbitrio Principis, vel Populorum in ſtatutis profectæ ſunt, varietatem ac mutationem introducant: in ſingularibus enim caſibus, quos hæc vel illa adjuncta veſtiunt, prudenter probari poteſt, hanc potiùs legem præ alia obtinere; vel illam legem,

aut Statutum non habere locum, quòd minimè præſumendum, aut credendum ſit, mentem & intentionem Legislatorum, quos ùt plurimùm prudentes, & integros exiſtimari oportet, talem fuiſſe; vel quòd aliæ dentur leges; vel quòd hoc fraudibus, dolis, aliiſque malis viam aperiret, quæ à Republica, in cujus commodum, tranquillitatem, ac libertatem conſervandam, minimè verò in ejus detrimentum, ac ſervitutem leges rogantur, longiùs arcenda ſunt.

Id ipſum in litibus fieri amat, quæ non raro eam ob cauſam oriuntur, ut cognoſcatur, quæ mens & intentio privatarum perſonarum in teſtamentis, contractibus, pactionibus, ſeu tranſactionibus, aliiſque hoc genus actibus fuerit. Diverſa adjuncta, atque verba diverſa diverſam quoque voluntatem inducere, bonam aut malam fidem mortalium probare poſſunt. Omnes dein reflexiones, quotquot eum in finem fiunt, ut dilucidè expediatur, quòd lex aliqua hanc vel illam rem imperet, aut vetet; vel quòd hujusmodi res ſit, aut non ſit, nos rationes vocamus: atque his rationibus Forenſis Curia in utramque partem toto die perſonat, diſceptantibus Cauſidicis, & Procuratoribus, qui omnibus nervis agunt, ut leges arctioribus terminis

finiant,

finiant, vel relaxent, vel in caſibus propoſitis excludant, vel voluntates, verba, & actus privatarum perſonarum in hunc potiùs, quàm alium modum interpretentur.

Jam tot tantæque controverſiæ in legum ſcientia cùm ab ipſis rebus, tum à defectu, tum ab humanarum mentium exceſſu naſcuntur. Quod ad res ipſas attinet, infirmitatem noſtram fateamur neceſſe eſt: ſiquidem cognitiones ſunt exiles & fluxæ, atque mortalium intellectus certis cancellis circumſcriptus. In plurimis equidem actionibus hominis generaliter ſumptis ſat claræ ideæ de eo, quod æquum, aut iniquum, minimè deſunt; ſed ſimul ac ab his univerſalibus ad ſingulares caſus, tot támque variis adjunctis, quorum unum ab altero diverſum eſt, veſtitos deſcendimus, mox mens noſtra confundi, & neſcire, utrùm hæc talis actio æqua ſit vel iniqua, an præcepta, vel prohibita, licita vel illicita, an in hanc, illámve litigantium partem Juſtitia inclinet, eò maximè, quòd adjuncta, ùt aliàs memoravimus, res nobis objectas mutent, atque adeò quidem, ut mens noſtra, ſui haud ampliùs compos, planè neſciat, quâ lege, qua regulâ, qua ideâ ſingularem caſum, nobis propoſitum, decernat. Dantur miræ picturæ, quæ ex hac

hac parte consideratæ multò amænissimi nemoris viretum, apricos colles, innoxios saltus, & mille amænitatum theatra, vel liberali in paucis specie hominem, formæ lepore omnium in se oculos rapientem, ex alia verò parte contrarium prorsùs nobis objiciunt. Et hæc confusio pariter in Theologia Morali, quam haud immeritò magnam Jurisprudentiæ sororem dixeris: (alias scientias tuto silentio premendas duximus) dominatur. Id unum dixisse nobis sufficiat, in ejusmodi *scientificis* materiis, quibus contradici nequit, id contingere, quod in homine aliàs nobis ex asse noto fieret, haud ampliùs cognoscendo, si vel duos mystaces mentitus sese nobis videndum præberet.

Ad obscuritatem materiarum dein diversus mortalium, causas, ad æquitatis bilancem trutinatas, dijudicantium, habitus ac constitutio accedit. Alios ingenium commendat, quos tamen naturalis quædam judicii ignavia deformat; alios, quibus illiberalior natura ingenium negaverat ad litteras factum, scientiis non admodùm instructos novimus, quos limato judicio ac ratione præditos esse videmus; alii contrà toti chartis impallescentes, ingentem legum ac Paragraphorum vim in expedito habent, sed ratione ac prudentiâ destituuntur.

tur. Hac mentium varietate, cum materiæ difficultate conjuncta, neceſſe eſt, ut diverſa quoque judicia emergant, & non modò cauſarum Patroni, & Procuratores, verùm etiam ipſi Judices eandem quæſtionem, eundémque caſum diversâ prorſùs ratione intelligant; quod ſingulis diebus in diverſis Tribunalibus fieri videmus, alio ſecundùm hunc, alio ſecundùm illum pronunciante. Hinc diverſitas pariter opinionum in uno eodémque collegiato Tribunali, è quatuor vel quinque, aut pluribus togâ prætextâ conſpicuis conſtituto oritur, duobus in hanc, reliquis in aliam partem in eadem cauſa ſuam conferentibus ſententiam. Singulis, inquam, diebus incredibilis hæc Judiciorum diſcordia oculis noſtris obverſatur, in quibus de fortunis, vita, honore, ac mortalium fama judicatur, nullâ habitâ ratione, quòd manifeſtum ſit ſignum, infirmam eſſe Jurisprudentiam, & inſignem etiam in Republica calamitatem, ſi vel juris ſui vindicandi, vel defendendi gratiâ judicio cum altero contendere oportet, cùm in pluribus caſibus in præſenti periculo verſemur, ne unius, pluriùmve Judicum ſententia fatis ſit annumeranda. Miſeram ſanè illius conditionem, qui dicam exercere, atque legibus experiri cum alio cogitur; hic ſiquidem Juſtitiæ fores ſe pulſare

pulsare ratus non advertit, quòd se, fortunásque suas aleæ committat.

Verùm enimverò major Jurisprudentiæ pestis ab excessu ingenii, & maximè Advocatorum erupit. Simul enim ac Caussidicus rogatur, ut causæ cujusdam, à legibus non satis apertè, vel etiam probabiliter decisæ, multóque magis ancipitis, & dubii juris patrocinium in se suscipiat, mox commodam felicis cerebri sui specimen edendi, artémque ostentandi, vel saltem crumenæ suæ studendi occasionem nactus, totâ virium contentione in vasta sua bibliotheca, magísque in scientiæ ac ingenii sui pelago rationes, auctoritatésque piscatur, quibus Judici fucum faciat, Clientis sui causam ab juris auxiliis optimè instructam esse. Id ipsum alius Patronus, alium Clientem defendendum suscipiens, faciet. Dicenti Causidico: res nostra liquidissima est, nos æquum & bonum habemus; alter continuò reponet: minimè gentium; nobis leges favent, & causam tantùm non certam habemus. In hoc rerum statu sæpenumerò Judex densis & ipse tenebris obductus, ignorabit, in quam partem concedat.

Jam

Jam dici nequit, quarum rerum humanum ingenium, cumprimis acutum, in abdita quævis ſe penetrans, & in cauſis forenſibus, ac in illis majoribus, quæ in libris occurrunt, probe verſatum ſit capax. Excogitat miras ſubtilitates, eruit, aut invenit plurimas rationes, diſtinctiones, reflexiones, præſumtiones, exceptiones, ob quas cauſa ſua magnam ſpem præbet: quid quòd illam tanto phraſium ac verborum pondere depingat, ut actio juris (prætenſionem vulgò dicunt) æquiſſima eſſe videatur. Ne autem ipſi ſoli fides adhibeatur, integrum aliorum, in eandem ſecum ſententiam conſpirantium, Auctorum agmen præmittit. Dixi: iterúmque dico: ſingulares caſus innumerabiles penè dantur, in quibus nos certa æqui & iniqui idea deficit. Reducuntur illi ad Categoriam dubii & opinabilis; eáque propter tunc pro viribus contenditur, ut res, in qua ingenium velut in ampliſſima area laborare poteſt, plùs minúsve probabilis, & veriſimilis appareat. In hoc rerum articulo jam non ampliùs Legislator litem dirimit, ſed ingenium ad eandem defendendam deſcendentis, ingenium Judicis, conformiter intelligentis, ſententiam dicit.

Epictetus docuit, res & actiones mortalium duabus ansis, seu manubriis esse instructas; nos æquum & iniquum dicimus. Erit ingenium hominis, qui de iis tantâ verborum vi disserat, ut eas utiles, honestas, ac justas esse fateamini. Idem dein ingenium, si in id incumbat, ut vobis contrarium appareat, fine suo neutiquam excidet. Carneades, magni inter suos nominis, gloriabatur, se probaturum, id, quod ab omnibus iniquum esse credebatur, cum æquitate congruere; è contrario id iniquum esse, quod omnes ex æquitate fuisse existimabant: tandem Catonis judicio atque sententiâ tanquam auctor periculosarum regularum Româ pulsus. Verùm hæc ars cum illo haudquaquam extincta fuit; siquidem Academicorum schola non in Græcia duntaxat, sed Romæ etiam perstitit, quæ plurimis posteriorum Seculorum Jurisperitis, eandem cum Carneade quæstuosam artem profitentibus, propagata est, dum Causarum Patronos agunt, & in rationum vicem paralogismos, ac falsas argumentationes, non rarò haud advertendas, ac solvendas, nisi majori quis mentis acie sit præditus, ac unum ex alio inferre sciat, in medium adferunt. Si è re vestra foret, ut versuti hi, & callidi veteratores vobis probarent, Neronem, quo nullum

nullum atrocius in terris monſtrum ſol Planetarum Princeps unquam aſpexerat, fuiſſe optimum Principem; Quartanam eſſe pretioſum naturæ munus: oſtendite eis vel timidâ manu aurum; & flaventis hujus terræ fulgor illorum oculos ita perſtringet: ut continuò ad obſequia veſtra ſeſe promtos & paratos offerant. Quamobrem ſiquis veterum noſtrorum Jurisconſultorum Libros evolverit, pauca admodùm inveniet; quæ non cùm ob legum obſcuritatem, tum ob contradicendi libidinem, vel ob ingenii oſtentationem, vel ob intellectûs debilitatem, vel ob veritatis aperiundæ difficultatem, in controverſiàm ſint vocata, id quod Decianus Capite undevigeſimo Numero XII. ſuæ Apologiæ confirmat.

Jam contigit, ut cauſarum Patroni mirabiles ingenii ſui labores, atque opera Conſiliorum, Conſultationum, ac Allegationum nomine typi beneficio in lucem publicam emitterent, quorum doctrinas & opiniones, qui poſt eos mundo nati ſunt, ùt rei ferebat ingenium, proferebant; quin & Tractatuum Compilatores easdem libris ſuis inſerere non dubitârunt, quod Jurisprudentiam ſemper magis magisque incertam reddidit. ac dubiis contrariiſque opi-

nionibus implevit, nullâ habitâ ejus ratione, quòd illorum fortasse muneris fuerit, ut nonnunquam verum & æquum investigarent; sed multò frequentiùs ut id indagarent, quo pacto Clientes sui sive jure, sive injuriâ causam obtinerent. Maxima pars tot contrariarum opinionum, & Antilogiarum in Jurisprudentia à multis variisque Causidicis, qui pro causarum suarum indole aliquam opinionem pugnaciter defendebant, aliis aliam docentibus, atque propugnantibus, descendit. Successu temporis alii posteriores causarum Patroni pro priore opinione, ùt res postulabat, velut pro aris & focis acerrimè decertabant, aliis contrariam alterius antecedentis Auctoris suo calculo laudantibus.

Nec opponas: Hoc dixit Bartolus, Baldus, Socinus, Berò, Cumano, Fulgosus &c. Sunt enim procul dubio primæ Auctoritatis Viri; sunt magna ingenia: verùm & hi olim ingenium suum omnibus, quotquot solvebant, venum exponere sibi nequaquam religioni duxerunt, ùt præsentem perspicaciâ suâ litem evincerent, de tradenda Reipublicæ in his & similibus causis secura æqui & veri regula parùm aut nihil solliciti. Nullus dubito, quin sub id quoque temporis unus aliquis peritorum Causidico-

sidicorum fuerit, qui cum doctrinis & opinionibus contrariis Consilia composuerit, fortasse magis plausibilia, tametsi postmodùm nec in lucem emissa, nec ad notitiam nostram pervenerint. Eapropter Judicum mentem nunquam Advocatorum subtilitatibus, & audaciâ dirigendam esse arbitror, quoniam hæc negotiatio non modò multis periculis est obnoxia, sed non rarò ad eos etiam, qui fidem illis habent, circumveniendos nata facta.

Quid multa? Ingenii excessus tantùm ad id serviit, ut illud incertum magis redderetur, quod suopte ingenio ejusmodi jam erat; eóque res adducta est, ut tot tantæque Jurisperitorum subtilitates hanc scientiam, suprà quàm dici possit, perturbârint, quin in infinitis propemodùm casibus sciamus, ubi pedem securè figamus. Si decem plurésque Auctores desideratis, qui uni eidémque opinioni adstipulentur, evovite Cardinalem Thoscum, Castejon, Sabellum, & eos quasi in pugnum, quod ajunt, contractos invenietis. Quòdsi contrariam opinionem vobis defendendam esse putatis, atque ad id decem aliis, aut pluribus Doctoribus, qui eandem ratam, ac firmam habuêre, vobis opus esse videtis versate libri paginas, & eos cumulatè re

perietis. Scrutarii tabernam jure dixeris, in qua quisque, quam quærit vestem, corpori suo aptam invenit. Eò dein in legum scientia ventum est, ut (Contractibus, tótque aliis actibus enumerandis supersedeo) beatas illas Testamenti tabulas existimare possis, quæ mortalium fatuitate, æterna fideicommissa formando, jurisdictionem suam in ventura quoque Secula extensurâ, ab inflatis illis aliarum mentium Examinatoribus, qui Testatorem ejusdem secum sententiæ fuisse omni modo ac ratione volunt, non impugnentur; aut infringantur penitùs.

Eminentissimus Cardinalis de Luca *de Fideicommissis* Disc. XCIII. rem post homines natos miram memoriæ tradidit. Non nemo Jurisconsultorum, pluribus victoriis, quas Romæ in Tribunalibus sæpenumerò reportaverat, inclytus, quem vel ex hoc capite Tribonianum, ac Sibyllas doctrinâ superâsse existimabitis, testamento cavit, ut Fideicommissum, quod fecerat, in millesimam usque generationem duraret. Variæ quatuor filiorum suorum, agnatorum, & cognatorum substitutiones in illo legebantur, ut hereditas integra ac stabilis esset, nec unquam alienaretur, aut ad alios transiret: denique animi sui sensa ita aperuit,

ruit, ut, quotiescunque voluntas ſua in dubium vocaretur, résque in ancipiti eſſet, toties pro Fideicommiſſo ſtandum eſſet. Et en! evoluto paucorum annorum curriculo lis orta, & Fideicommiſſum tantis ampullis ac ſeſquipedalibus verbis illarum reconditiorum doctrinarum, quas ſubtilitatum armamentarium confertim ſubminiſtrat, terminatum eſt, ut non nemo vocatorum territus, atque animo conſternatus ſatius, ac conſultius duxerit, cauſam, inito etiam infeliciſſimo quovis pacto, componere, quàm dubium ſententiæ eventum præſtolari.

Quantis cùm ſanctimoniæ, tum doctrinæ radiis Bernardus Claræ Vallis Abbas Mellifluus coruſcârit, omnibus exploratum eſſe arbitror. Sub illius ætatem, aut paulò antè, Romanæ leges maximam partem aliquot Seculorum mole vel oppreſſæ, vel certè neglectæ in lucem ſunt retractæ. Et ille jam tunc temporis agnovit, copioſiſſimum hoc Juſtitiæ promptuarium æquè fœcundiſſimum dicarum ac litium ſeminarium fore. Hanc ob cauſam Lib. I. Cap. IV. *de Conſiderat.* ad Pontificem Eugenium de legibus Juſtiniani, in uſum denuò deductis, loquens: *Hæc autem,* inquit, *non tam leges quàm lites ſunt, & cavillationes ſubvertentes judicium.*

Cæterùm haud gravatè prætereo, quæ in hanc rem Guilielmus Budæus, & cumprimis Juſtus Lipſius *Monit. Polit.* Lib. II. Cap. XX. & in Epiſtolis, tot tantáſque lites, quas immenſa propè legum copia creâ-rat, acerbè deplorans, ad ſeros poſteros transſmiſit: tantorum enim malorum faces nequaquam leges, quæ bonæ ac pulchræ, & impediendis, vel decidendis litibus latæ ſunt, ſed malitioſâ Cauſidicorum perſpicacia, quæ his legibus & abuſa eſt, & adhuc abutitur, incendit. Eâdem prorſùs ratione factum eſt, ut hi Chymici, ſeu Conflatores (hoc eos nomine vocare per vos mihi liceat) inventis in legum ſcientia tot tricîs ac confuſionibus, neceſſitate compulſi tot clauſulas, quibus legem vel præſervarent, vel defenderent, vel eidem derogarent &c. &c. fabricari debuerint. Væ rudi & amuſo Tabulario, qui in Contractu à ſe ſubſcripto, in Teſtamentariis Tabulis, in inſtrumento dotis, & hoc genus aliis intentionem ac mentem Contrahentium his clauſulîs probè munire neſcit. Verùm ortâ vixdum inter partes controverſiâ, continuò etiam diſputabitur, quam vim virtutémque clauſula ab initio, vel in medio, vel ſub finem poſita, & quam in diverſis caſibus Codicillaris cum tot aliis ſive tacitis, ſive expreſ-

expreſſis habeat, de quibus ne gry quidem facio, quæque ampliſſimam diſputationum ſilvam formant, toto die Forum, magisque pauperum, quos, ut judicio cum altero confli&tentur, neceſſitas adigit, loculos infeſtantium. Quis igitur infelicem humanæ Juſtitiæ conditionem non amarè defleat? An non totâ mente, atque omnibus artubus contremiſcat, quisquis vadimonium ſibi obeundum, & ad Judices confugiendum intelligit, ut judicio contendat, tametſi æquum bonum habeat, ad bona & fortunas, quas poſſedit, conſervandas, vel quas alii per ſummum nefas occupârunt, vindicandas?



CAPUT VII.

De Judicibus, eorúmque Nævis.

JEthro Moysis Socer comperto, Generum suum in agendo Foro, & decidendis frequentissimi populi sui controversiis ita occupatum ac distentum esse, ut per illas à primo mane usque ad primam facem quieto ei esse non liceret (Exod. 18.) objurgavit eum, dicens: *Non bonam rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Quare majoris consilii causas sibi reservaret, constituens *de omni plebe viros potentes, & timentes DEUM, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & judicent populum omni tempore.* En dotes, quibus singulos Judices, ac Principum, & cujuscunque Reipublicæ Optimates ornatos sacræ Litteræ cupiunt.

Prima

Prima itaque, quæ requiritur, dos eſt *Potentiâ*, ſeu Judices ſint *Potentes*, ſive eâ mentis vi ac virtute præditi, ut ſciant, quid diſtent æra lupinis; hæc autem vis ac virtus plerùmque dari nequit, niſi ea cum ſcientia, ſeu legum notitia, ex quarum præſcripto judicare oportet, ſit conjuncta. Eam ob rem alii in vicem *Potentes* legunt *Sapientes*.

Altera dos eſt *Timor DEI*, ut nempe ii, qui cauſas cognoſcunt, nec odio, nec timore, nec cupiditate, nec amore unquam ſe perverti, ac corrumpi patiantur, ubi ſive de Corpore, ſive de bona nominis fama, ſive de alterius fortunis judicandum eſt.

Tertia eſt *Amor Veritatis*, ut ii nempe, qui controverſias diſceptant, veritatem in cauſis controverſis, litibus, atque allegationibus exactè omnibus veſtigiis indagent, eam in cordibus ſuis nullo non tempore cuſtodiant, atque in nullo caſu mendacio contaminent.

Quarta demùm dos eſt, ut Judices *avaritiam oderint*, nullìsque privatis rationibus ducantur: maximæ enim difficultatis res eſt, ut Judex commodis ſuis deditus,

ac partium Studiosus; ut Judex, cui munera præ munere suo placent, & qui sive paupertate impulsus, sive aviditate abreptus nobili suâ provinciâ tantùm compendia sua promovere cupit, Justitiæ lancem & gladium eâ, qua par est, religione ac integritate temperet. Putabit equidem, id se facere; sed putabit, quia cor suum accuratè examinare, & occultos internósque hoc potiùs quàm alio modo judicandi impulsus discernere haud poterit. Non est Civitas tam obscura ac tenuis, in qua non plures ejusmodi Christo inauguratos, honoratos, & aptos Principis ac Justitiæ Ministros invenire liceat. Quòd autem non nunquam ab his etiam diversi reperiantur, mihi æquè certum ac exploratum est; sed ubi terrarum ac gentium, non adeò in promtu est dicere. Jam de prioribus mentionem facere minimè sustinerem, nisi merita eorum laudando, necessitatem extollendo, & cum illis gaudendo, quibus benignissimus DEUS eosdem impertiri dignatus est. Hoc loco, si per vos licet, pauca admodùm de posterioribus dicere constitui.

Et primò *Timorem DEI* quod attinet, optandum esset, ut nullus unquam ad gravissimum Judicis, ac Ministri munus prove-

proveheretur, qui hoc primo rectè operandi principio ſpoliatus eſt. Equidem hæc eum in finem dixiſſe minimè velim, ac ſi tantùm Viros ſanctitatis laude conſpicuos pro Tribunali ſedere oporteret, cùm hæc avis fortaſſe rara ſit in terris. Ad hæc ſanctos quidem ad DEUM in vota noſtra ardentiſſimis precibus ſuis flectendum optimos eſſe Oratores conſtat: ſed an omnes etiam ad agendos rectè & pro dignitate Judices, Dynaſtas, ac Miniſtros, ad Rempublicam gerendam, atque regni negotia temperanda neceſſariis & animi & ingenii donis inſtructi forent, definire non auſim: imò plures hanc in ſe provinciam haud ſuſcepturos, certè nequaquam concupituros arbitror.

Quamobrem nihil aliud requiritur, niſi ut Judex ſit vir incorruptus, integer, & omni rejectione major. Væ ſi ambitio eidem dominatur, vel ſi honoris ac gloriæ cupiditate ardet: omnem enim movebit lapidem, ut ad altiores dignitatum gradus evehatur; ignobilem ei ſervitutem ſerviet, per quem ſe amplâ honorum acceſſione auctum iri ſperat. Væ ſi vindictæ cupidine æſtuat: erunt caſus, in quibus ſibi temperare haud poterit, quin ſententiam dicendo vindictam expoſcat. Væ ſi animo eſt

diſſo-

diſſoluto: nam commendationibus ſurdas præbere aures, eisque repulſam dare nequibit. Si ſuperbiâ intumeſcit, & maximè ſi ſcientiæ ſuæ vento inflatus magnificentiùs ſe circumſpicit, opiniones ſuas, quas temerè ſuſcepit, præfractè tuebitur, inſolens aliorum contemtor; & ſic de cæteris. Vir bonus & integer vitæ, qui de controverſiis conſtituit, præſentem ſemper DEUM ſibi imaginatur, in id præcipuè intentus, ut ne ſive ex deſperatione, ſive timore, aut noxia verecundia, multóque minùs ex fine perverſo à regia via aberrando illum unquam offendat. Et ſi fortè contingit, ut in ferenda ſententia non raró allucinetur, conſcientia illum haud arguet, eoquòd nihil antiquius habuerit, quàm ut cauſæ merita probè cognoſceret, partium rationes in informationibus, & antilogiis æquâ & attentâ mente audiendo, cauſæ momenta volvendo, & argumenta, quæ jus uni litigantium parti præ altera magis favere perſuadent, ſecum apud animum ſuum perpendendo.

Portenti ſimile erit, ſi Judex ſuis commodis deditus, qui continuò ad rem augendam, ac commoda ſua captanda ſtimulari ſe ſentit, Arbitros, & fortaſſis ipſam etiam Juſtitiam non vendat. Pejore deinde loco rés eſt, ſi Quæſtionum Judicis munere

nere fungitur, ac capitali Judicio præest: ubique enim delicta reperiet; omnes capitis reos esse volet: sed & viscera misericordiæ illis ostendet, quos ad mores & ingenium suum factos esse noverit. Commendari video, si Viri potiùs nobili sanguine orti, & opibus adfluentes, quàm obscuro nati loco, egeni, & exhausti in Judices eligantur. Et reapse major plerumque Justitia & integritas ab eo sperari posse videtur, quem omnes honestatem in operando à generosa Majorum stirpe accepisse, nec ex aliorum clade & sanguine vivere coactum esse credunt. Verùm hæc regula in usu adeò fallax est, ut eam in medium proferre mihi non sumerem: si enim necessitas pauperem & egenum ad furandum compellit, ad id ipsum aviditas nobilem ac divitem abripere poterit. Eapropter divitem pauperi tantùm præferendum esse censeo, ubi ambo æquali Divini Numinis metu sunt perfusi, & neuter illorum privatis rationibus ducitur. In hoc rerum statu prior faciliùs rectum animi sensum in judicio sequetur.

Verum enimverò non sufficit, ut Judex compendiis suis non studeat; nec sufficit, ut DEUM timeat, sed requiritur insuper in eo *scientia*. Apud omnes in confesso est, Judicem non arbitratu suo, sed ex

ex legum præſcripto de rebus aliorum judicare debere: quis autem æquam ſententiam, rectúmque judicium ab eo ſperet, qui leges non benè callens, aut earum finem ſenſúmque non probè intelligens, juris principiis deſtitutus eſt? Si ruri, ac in ignobilioribus oppidis nonnunquam pinguîs cerebri, ac leviter tincti Judices reperiantur, tolerari denique poterit: At emunctioris atque defæcatioris doctrinæ Viri plerumque ad exercenda in anguſtis Theatris ingenia ſua, adſignatis exiguis proventibus, non inducuntur. Profectò ferendum haud foret, ſi litterarum imperiti, & craſſioris Minervæ Judices in Prytaneis, ac Urbium Tribunalibus juri Mortalibus dicundo præficerentur. Jurisprudentia nunc vaſtum regnum, id eſt, legum, illarúmque expoſitorum, ac ſingularium cauſarum cognitionem complectitur, quæ in variis Tribunalibus agitatæ, defenſæ, ac deciſæ omnem ferè numerum abhorrent, & quas in Tractatibus, Allegationibus, ſive Conſiliis, & Deciſionibus legere licet. Dixi: hoc vaſtum & amplum regnum eſt, quod nullis circumſcribitur limitibus. Fieri nullo unquam tempore poteſt, ut Jurisperitus, quamquàm ſit omnium facilè doctiſſimus, ac improbo labore ſe tantùm non conficiat, immenſam illam farraginem evolvat, multóque

tóque minùs ut omnia capaciſſimo mentis ſinu complectatur; ſed ubi occaſio ſeſe offert, libros conſulere, cauſáſque ſibi commiſſas, id eſt, rationum ab utraque parte adductarum momenta ſecum gnaviter expendere tenetur.

Verùm nec iſtud ad dijudicandas ex æquitate forenſes cauſas ſufficit; ſed *ſcientificum* præterea *judicium* requiritur: ita vocare placuit, ut illud *à judicio practico* diſcernerem. Hoc poſterius in Davis, ac craſſo ſub aëre Bœotis, quibus ficus pro cerebro eſt, minimé datur, nec in iis, qui in locis inhoſpitis, & ab hominum arbitrio remotis aluntur; ſed qui naturali prudentiâ utentes, varias univerſales regulas ſuper æquitate & juſtitia comprehendere, verum à falſo, ſincerum ab adulterino in multis actionibus, quæ in hominum ſocietate occurrere ſolent, diſtinguere nôrunt. Hoc ſolo medio plures ad non paucas negotiatorum, opificum, civium, ac infimæ plebis controverſias decidendas aptos eſſe videmus. Mos etiam fert, ut in omni civitate, quæ bonis eſt temperata inſtitutis, legibúſque, & ſuavis atque commoda moribus, Judices conſtituantur, qui populares nullius vel levioris momenti cauſas è veſtigio ſine forma judiciaria dirimant.

At

At *judicium scientificum* in penetratione intellectûs consistit, qui ab universalibus ad singularia argumentari, & differentias, quæ hunc inter & illum casum intercedunt, penetrare; qui adjunctorum vim, quæ rerum faciem vertere, ac immutare valent, cognoscere; qui mortalium sensa, in testamentariis Tabulis, aut pactionibus non satis expressa, indagare, & aperire; qui rationem à Sophismate, utile ad formandum rectum judicium ab inutili & superfluo discernere sciat. Erunt equidem (haud diffiteor) qui sine hac pharo in judicio causas, aut judicem agere possint; verùm opinione citiùs scopulos & syrtes offendent: & jure optimo toto corpore perhorrescat, qui priorum Consultis confisus, à posterioribus sententiam expectat.

Judices fuisse constat, qui Libros juridicos lectitando caput suum defatigantes, ingentia & Conclusionum, & notandorum volumina, quæ indefessa eorum manus scripserat, in promtu habuêre. Haud dubiè, dicet non nemo, magni nominis Doctores erant? Tales certè credebantur. Et dum ex intervallo tot paragraphis, tot decisionibus, aliisque juridicis auctoritatibus sese levi brachio expedire audiebantur, non poterant non scientiarum arcæ existimari.

At

At nescio quo novercante naturæ odio factum fuisse dicam, quòd re optimâ, illo nempe judicio, seu mentis acie, qua de inpræsentiarum nobis sermo, pessimo sanè fato destituti fuerint. Hi tales rationum momentis, & rerum diversitatibus inveniendis haud erant: aliorum dicta crassis suis ingeniis minimè assequebantur: ingentem conclusionum acervum possidebant, quibus in casibus iisdem utendum foret, ignari. Tota istorum, qui aliud ex alio inferre nesciunt, fortuna in Doctorum, & Tribunalium, controversias illas decidentium, auctoritatibus, quarum maximam habere solent rationem, sedet. Quò longior Auctorum, ab aliis prolatorum series, eò securiore decidendi fundamento se niti arbitrantur. Fierine potest, inquiunt, ut inter Viros insigniter prudentes, & in tanto numero, & in libris prelo vulgatis, de illa conclusione, vel decisione sine gravissimis argumentis convenerit? Hoc modo aliorum fidei inhærentes, minimè verò clarâ certissimorum argumentorum cognitione moti, causas inter litigantes disceptare non dubitant. Quamquàm legum conclusiones bonæ ac pulchræ sunt; necesse tamen est, ut adjuncta, ab iis non raró ùt plurimùm diversa, quæ in decisis casibus legun-

tur, attentâ mente discernantur. Hic lapis, ad quem Cerberi forenses, ac rudes Leguleii sæpenumerò offendunt.

Notandum præterea, quòd illis ipsis conclusionibus alii Auctores refragentur. Hìc jam quærere mihi fas sit, cui habenda fides? cujus sententiæ in illo controverso casu subscribendum? *Judicio scientifico* instructus illi accedet, quæ fortibus rationibus confirmata magis, atque roborata videtur: & non raro fiet, ut duo trésve probatæ ac spectatæ fidei Auctores (classicos vocant) longo aliorum & intellectu, & scientiâ inferiorum choro, qui sæpiùs tantùm verba, ab aliis nunquam fortassis etiam malè prolata, rudes librarii exscribunt, præferri mereantur.

Ex his omnibus consequitur, quòd ad rectè judicandum, quantum per humanorum ingeniorum debilitatem licet, semper perspicax intellectus desiderandus sit, qui ad rerum capita penetrare, earundem varietatem & adjuncta discernere, leges ac regulas, seu conclusiones, quæ huic singulari casui conveniunt, & alteri fortassis non convenient, aptare sciat; verbô: intellectus, qui in ambiguis & discrepantibus Testatorum, & Contrahentium verbis veram

ad

àc genuinam eorundem mentem examinare, & indagare valeat. At ejusmodi Viri minimè ſibi perſuadeant velim, ſe litium nodos plùs quàm Gordios ſine ſcientia ſoluturos eſſe : utramque conjungant oportet, ex legum præſcripto res Mortalium feliciter judicaturi. Multæ leges tantùm Legislatorum voluntate nituntur, quas corrigere, vel rationes, in proprio cerebro natas, ad ferendam aliam ſententiam bonorum ingeniorum haud eſt, cùm præcipientibus Superioribus ſpeculatio noſtra ceſſet, eisdémque morem gerere deceat, ita, ut potiùs ad Legislatorum mentem ac voluntatem, quàm ad noſtrum arbitrium controverſias dijudicemus; ſecùs non illi, ſed nos jus ſtatuemus, id quod nequaquam ferendum.

Ad hæc compertum habemus, dari non raró Judices, qui pro ſua pertinacia à primo interno judicio, ab ipſis in propoſita cauſa formato, nec latum unguem diſcedunt. Doctus & longâ rerum experientiâ clarus cauſarum Patronus rationes & argumenta producturus, quæ opinionem tam penitùs inſitam ex eorum animo evellant, oleum & operam perdet, ac priùs ſtudiis, laboribúsque vires exhauriet, quàm ii de ſententia ſua decedant. Meliore

ingenii acie, ac majore intelligentiâ ſeſe præditos eſſe credunt, quàm quot Advocatos Forum unquam producere poſſit: & ſi mentem ſuam mutarent, ſuperbia, eos circumventos fuiſſe, objurgatura eſſet. Nihilominùs omnes, quotquot judiciis præſunt, ſciant, Judices oportere eſſe dociles, nec quidquam ullo tempore ſtatuendum, quin priùs quàm diligentiſſimè utriusque partis jura cognoverint, nec uni ſententiæ tantâ pertinaciâ inhærendum, ut non ſint parati, ob fortiores, quæ ſuperveniunt, rationes ab ea diſcedere.



CAPUT

CAPUT VIII.

De Advocatorum, aliorúmque Jurisprudentiæ Ministrorum Virtutibus, atque Nævis.

ADvocatos, & Consulentes, quos Roma cum nonnullis aliis Urbibus à Procuratoribus distinguit, aliæ confundunt, Universæ Reipublicæ necessarios æquè ac Judices esse arbitror: cùm enim imperiti, ac amusi clientes scripturas suas examinare, vel Judices instruere, aut legitimas & convenientes adducere rationes nesciant, è re planè fuit, ut eorum debilitatem scientia nonnullorum Jurisconsultorum suppleret, qui in legibus exercitati ea argumentorum ac rationum momenta excogitarent, quæ Clientibus, ipsorum patrocinio confidentibus, adjumento forent. Eam ob rem illorum munus verbis ornari amplissimis meretur; institutum verò eorum toti Reipublicæ non modò perquàm utile, verùm omninò necessarium esse existimo. Videas profectò Viros &

prudentiæ, & doctrinæ, & religionis laude clarissimos, qui summo cum honore, ac fama hanc artem colant, & rationes moventes, quæ Judicem victas dare manus cogunt, sine dolis, sine sophismatis convellere, ac irritas facere non ignorent, nunquam eò se abripi passuri, ut ancipitis & contumeliosæ causæ patrocinium in se suscipiant, satis gnari, id conscientiæ, ac honori proprio futurum fraudi, & in maximum Clientûm suorum detrimentum esse redundaturum. Horum talium Virorum, quos non ego duntaxat suspicio, sed & omnium vota, ubi judicia exercentur, jure optimo suspirant, omnis ferè civitas ingentem alit numerum. Sanè nemo inficias iverit, Judicum esse, scire, num argumenta citata magni, vel nullius roboris; num leges, Decisiones, aliæque adductæ Auctoritates causæ propositæ congruant. Reapse autem ad Jurisperitos pertinet (sive Advocatorum, sive Procuratorum munere fungantur, perinde est) externas ac interiores rationes, ob quas Judici secundùm eos, quos defendendos suscepêre, pronunciandum esset, investigare, atque in apricum proferre.

Verùm nec omnes causarum Patroni, nec omnes Judices ejusdem notæ sunt. Quem-

Quemadmodùm virtus, quæ in medio consistit, duobus extremis, excessu nempe & defectu, cincta est, ita & Advocati munus inter duo extrema consistit. Nonnulli eodem funguntur necessariis animi dotibus minimè ornati, id est, exiguâ scientiâ instructi, ac sagacis ingenii acie spoliati, qui rationes, auctoritatésque discernere nequeunt. Profectò etiam inter Judices non paucos ejus corii reperias, qui, si in judiciorum conventibus doctiorum suffragiis accedere nôrunt, rectissimè agunt, nec acerbo Collegarum risui sese exponunt, ubi & ipsi emunctæ naris homines videri cupiunt. Jam ejuscemodi Advocati conceptam quidem Clientûm suorum spem, & expectationem innocenter fallere, illorúmque causis obesse possunt; sed Judicem multo rerum usu exercitatum pervertere haud solent: imò non rarò Judices subacto, ac divino propè ingenio videas, quorum scientia Actuariorum aliorúmque Curialium hominum ignorantiam suppleat; id quod in pluribus quoque casibus facere obstringuntur, cùm ipsi eo maximè nomine pro Tribunali sedeant, ut verum eruatur, & Justitia non opprimatur.

Eapropter magna me subit admiratio, Clarum, aliósque ab eo citatos Lib. V. §.

fin. de Praxi Criminal. Quæst. LXVI. Num. II. asserere, atque defendere, quòd Judex *tutâ conscientiâ* Reum condemnare possit, quem privatâ scientiâ innocentem esse novit, eò maximè, quòd ille *secundùm acta & probata* judicare debeat. Interea tamen Principem monere, aliáque media adhibere tenetur, ut ne talem injustitiam admittat. Justum autem & æquum est, ut, quem privatâ scientiâ sontem esse scit, tanquam reum non condemnet, ubi justæ rationes & argumenta ex causa non deducuntur. Verùm maximi in Republica mali culpam nequaquam forenses Moratores, & rudes Advocati, sed ii sustinent, qui sagaciorem longè indolem, atque ingenium sortiti, id omnibus, quotquot vel ùt Actores ad causam evincendam, vel ùt Rei ad litem non perdendam eodem indigent, vendere non dubitant. Antiqui moris, neque fallaciis septus Causidicus rationes profert, quas illi ingenium suum ac scientia suppeditat, non Judices circumveniendi gratiâ, sed iisdem eâ, qua par est, modestiâ ostendendi, se in illo casu contra alterum jure superiorem esse. At qui ingenium suum venum exponit, & multò magis qui cum mentis perspicacia malitiam conjunctam habet, sibi non temperabit, quin non raro sine ulla religione ancipitis & fluctuantis causæ patroci-

trocinium in ſe ſuſcipiat: nullam deinde operam, aut induſtriam prætermittet, ut non bonas duntaxat rationes, ſed etiam ſubtilitates, ſophiſmata, paralogiſmos atque artes inveniat, quibus cauſam confuſam ac turbidam reddat, proprias rationes roboret, & Adverſarii argumenta labefactet, oculis tenebras offundens, ubi omnia luce meridianâ ſunt clariora, & (quod ſæpè ſæpiùs fieri amat) leges licenter adducens, quæ vel non quadrant, vel ad rem, qua de agitur, minimè faciunt. Adhæc Auctoritates, ac Jurisperitorum opiniones in apertum producit, altero certè die in diverſo certamine à ſe reprobandas.

Cardinalis de Luca in Proœmio ad Doct. Vulg. Cap. IX. ſcripſit, cauſarum Patronis nequaquam prohibitum eſſe *fallaciis* uti, ubi *de articulis dubiis rationis* agitur, fallaciam & mutationem *in factis* tantùm excludendo; *quia Advocatus inſinuat, & non judicat, nec minus eum in modum teſtatur, ut Judex illius fidem ſequi teneatur.* Ni mea mihi imponit ſententia, vult Purpuratus Doctor dicere, Advocato licere, Judicem doctrinîs ſuîs etiam fallacibus, vel malè accommodatîs in perturbationem animi, ac tricas conjicere: viderit

 rit

rit deinde Judex, si occultis illis retibus se expedire nequeat.

Plures contra hunc usum adducere rationes non fert animus; sed tot Consilia, Consulta, & Allegationes in lucem esse editas adfirmo, ut Decianum inter & Alciatum magnâ contentione disceptatum fuerit, an id genus merces flammarum potiùs, quàm diei luce digniores censendæ sint. Et his Consultis nostri Jurisconsulti plurimùm confidunt, quasi verò venales isti labores semper verum & justum spectâssent, & non tot alia Consilia, ùt aliàs memoravimus, planè contraria essent, in notis Libris magnam partem nunquam prelo vulgata, quæ postmodùm tot diversas, & contrarias opiniones atque Conclusiones invexêre. Exploratum habemus, plurima ejusmodi Consilia infelicem in causis, quas defenderant, sortita esse exitum: nihilominùs etiam hodie Doctoribus nostris armorum locò, quibus se tueantur, serviunt.

Reapse celebris Andreas Alciatus Parerg. Lib. XII. Cap. ult. observavit, Alexandrum Tartagni Imolensem quinque Consiliorum Libros, & Socinum (Marianus is est, nî læva mihi mens) duos dedisse foras, non spernendum aliorum numerum suppri-men-

mendo, *quòd in eis multa essent adversùs veritatem scripta, quibus tenebræ oculis Judicum offunderentur;* sed quòd à morte eorum nemo fuerit, qui etiam hæc reprobata Consilia in lucem proferret, ratus, se Auctoribus immortalem nominis famam conciliaturum esse, dum eis tantùm ignominiæ notam incautus inussit. Addit præterea, Paulum de Castro, & Bartholomæum Socinum feliciùs ad honores, & nominis immortalitatem grassaturos fuisse, si eorum Consilia, maximam partem pro malis causis facta, & ad seducendum apta, in lucem conspectúmque hominum nunquam emersissent: illa è contrario Barbazzæ, Jasonis Maini, & Paisii leve injungere posse detrimentum, cùm doctrinas suas tam infirmis & elumbibus argumentis propugnent, ut ea quilibet nullo negotio advertere, & evertere valeat: Consilia autem junioris Socini, & Philippi Decii, felicis cerebri virorum, etiam peritissimum quemque decipere posse. Advocatis dein Interpretes, ac publici legum Doctores conjuncti sunt, qui Cathedratici, & Repetentes vocari solent. Hi vel omni, novis doctrinis plausum obtinendi, spe deturbati, vel quòd cum docendi provinciâ usum ac exercitationem Fori connecterent, & eorum Consulta solverentur, Leges ad arctiores terminos

minos constringebant, relaxabant, atque interpretabantur, ab aliis, qui alio consilio regebantur, progrediente tempore pro viribus oppugnatas. Hoc pacto Jurisprudentia in armamentarium confusionum abiit, quod & amicis, & inimicis, inter se pugnaturis, arma subministrare potest.

Me herclè judice in amplissimo Jurisprudentiæ regno Tractatuum Compilatores magis suspici merentur, utpote qui fidem suam venum non exponunt, & ùt plurimùm veritatis & justitiæ amore flagrantes quamcunque quæstionem, quæ ad eorum argumentum pertinet, pertractare, séque iis sociare solent, ubi rationem magis reperiri credunt. Nec quispiam sibi persuadeat, insolentem laborem, ac conatum esse, hoc genus Librum conficere, cùm vel tot aliorum dicta cùm variis ac contrariis opinionibus colligere, & nunc huic, nunc illi accedere sufficiat. Hoc nequaquam eâ mente dixisse velim, ut nonnullis excellentibus Jureconsultis, qui gravissimo rationum, & Legalium argumentorum pondere atque auctoritate nixi Tractatus suos compilârunt, in detrimentum cedat. Majorem haud dubiè honorem, ac reverentiam *Decisionibus* in singularibus causis debemus, maximè iis, quæ à præclarissimis Collegiatis Conven-

Conventibus proficiſcuntur. Verùm ob rationes ſuo loco prolatas, ob contrarietatem nempe & inſtabilitatem opinionum, quas Conſulentes & Repetentes Tractatibus, & ipſis etiam Deciſionibus inſeruêre, omnibus adhuc confuſio naſcitur, ſingulis quibusque cauſarum Patronis in ingenti illa Librorum copia quidpiam invenientibus, quicum Clientûm ſuorum Actiones (prætenſiones vocant) confirment.

Malorum caput eſt, quòd hæ Deciſiones, ac noſtri temporis Doctorum opiniones majore in pretio habeantur, quàm ipſæ Leges; de quo abuſu Rubeus Alexandrinus Conſilio II. Num. XXIV. jam ævo ſuo mentionem fecerat. Demus, Legem cauſæ, quam Patronus defendendam ſuſcepit, conceptis verbis favere; mox conclusionem, quam Baldus Conſilio CCCCLIX. Lib. V. Rolandus de Valle Conſilio XCIX. Num. XLVII. Lib. II. Cravetta, Ancharanus, pluréſque alii ratam eſſe juſſerunt, in medium producet, *quòd nempe Lex, etſi dura & rigida apparet, tamen obſervanda ſit, nec ampliùs diſputare, vel illam interpretari oporteat.* Verùm qui alterius partes tuetur, oppoſitâ concluſione armatus in arenam deſcendit, pro virili parte defendens, prudentis eſſe, Lege,

Leges modo, quo fieri poteſt, optimo explanare, illásque *in dubio* (& hoc dubium facilè movetur) *ſemper in mitiorem & meliorem partem accipiendas eſſe*, ùt Bellamera Conſilio IX. Num. III. docet, *Legémque generaliter loquentem ad arctiores terminos reduci poſſe*, ùt Socinus Regulâ CCLXXXIV. adductis quinque ſupra quinquagenas circumſcriptionibus ſtatuit. Hoc modo, dum Leges explanant, cum æquitate, & epicheia eandem trahunt, quoeiscunque placet, cùm omnibus & ſingulis Doctoribus easdem enodandi facultas facta ſit; nec unquam deſunt, qui priùs cuicunque opinioni ſubſcriberent.

Eam ob cauſam Eminentiſſimus Cardinalis de Luca de Conflict. Leg. & Ration. Obſerv. IX. in hæc verba ſcribens: *ubi namque Lex*, ait, *expreſſa habetur, quæ generaliter ac præcisè aliquid mandet; tunc intrat quæſtio, an ratio potiùs quàm littera, vel è converſo littera potiùs, quàm ratio attendi debeat.* Ac proinde vult, ut rationi potiùs, circa quam largior diſputandi campus ſeſe aperit, quàm litteræ, quæ fortaſſis clara erit, inſiſtamus. In Procemio ad Doctorem Vulgarem idem Purpuratus Pater Cap. VII. ſcribit, *quòd contra claram & expreſſam Legis determinationem Docto-*

ris

ris non concedatur facultas contrarium ſtatuendi; addit tamen, *niſi in quantum ita uſus diverſus obtinet, qui Legem virtute ac vigore ſuo privavit, ita quidem, ut ad opiniones & interpretationes Doctorum confugiendum ſit,* qui pro ſua eminenti intelligentia ac ſapientia L^ges antiquas abrogandi, novásque rogand. privilegio ſunt gaviſi, & etiamnum gaudent, eò maximè *quòd Legum civilium Auctoritas potiùs ex conſenſu, & uſu populorum, quàm ex præciſa & obligatoria poteſtate veteris Romani Imperii naſcatur.* Verborum iſtorum, nî fallor, hic ſenſus eſt: eatenùs Juſtiniani Leges obtinent, eísque morem gerere oportet, quatenùs ſapientiſſimi noſtri Juriſconſulti easdem approbârunt; aliàs illo ſtandum eſt, quod ii hoc Seculo hoc modo, vertente autem alio decernunt. Certum eſt, Principes & Civitates ſtatuiſſe, ut id exſequatur, quod particularia Statuta imperant; de cætero autem Jure Communi, nempe Juſtiniani Legibus ſtandum eſſe. Sed nihil refert: nam Eorum mandata *cum grano ſalis,* quod ajunt, intelligenda ſunt, id eſt, Jus commune à noſtris Doctoribus normam ſumere debet, quibus, dum doctiorum Virorum albo palàm adſcribuntur, poteſtas datur Leges, ùt ipſis conſultius videtur, exponendi, de quibus pro

certo

certo habendum esse arbitror, quòd veram ac genuinam mentem non nesciant; & si hæc res aliquam etiam dubitationem haberet, certè ad mentem Cardinalis de Luca *in casu ancipiti semper interpretationem, vel opinionem, & rationi naturali. & communi usui magis conformem sequi oportet; ratio enim anima Legis dicitur, & Legislator Vir summi consilii, & insigniter prudens censendus est.* Ita de Luca.

Non hoc ago, ut Cardinalis de Luca Assertiones, vel alias paulò antè memoratas reprobem, cùm reipsa non paucas reperire liceat Leges, quæ circumscriptione, seu moderatione (per me limitationem dicas) in nonnullis peculiaribus casibus summoperè indigent, & ob obscuritatem aliis atque aliis interpretationibus obnoxiæ sunt. Fingamus animo, Legum Doctorem cuidam Viduæ persuasisse, ut mercaturæ specie ac titulo mille philippeos sibi mutuos daret, adstringendo sese ad fructum annuum quinque vel sex pro centum eidem pro more gentis pendendum; confecto autem instrumento, solutisque per plures annos fructibus, ut sortem restitueret, divexatum, causari, fructus solutos pro vera sorte habendos esse. Cùm Doctores mercaturas exercere haudquaquam censeantur,

antur, hæc Tacita, ſeu palliata uſura erit, atque adeò in Foro etiam Civili condemnabitur. In hanc rem innumeri propemodùm Canones, & Doctores proferentur, & probabiliter nemo impediet, quin ſecundùm debitorem laureâ inſignem pronuncietur.

Verùm fieri poſſet, ut Judices, Facti adjunctis æquali mentis lance trutinatis, in tali caſu ex æquo judicantes, mitiore interpretatione Canones exſplicarent. Quòdſi nihilominùs contra Viduam litem eſſe dandam crederent, juſtum & æquum foret, ut Doctorem pecuniâ mulctarent, quâ damnum creditrici illatum reſarciant, idque ob dolum apertum, in diſpendium pauperis, & ignaræ Viduæ commiſſum. Scit ille, vel ùt Juris Utriusque Doctor ſcire deberet, numeratam pecuniam nullos ferre fructus: ſcit, ſe mercaturas non facere: ſcit, egenam Viduam proventibus illius vitam trahere: ſcit, non defuturos fuiſſe, qui pecuniam illam veræ mercaturæ exercendæ causâ mutuam accepiſſent, quotannis cenſum pendere parati; & tamen his omnibus juxta habitis ille fructum promittit: Ecquis, amabò, eum fraude, ac dolo abſolvet? Supremus Turcarum Judex (Cadiles-

ker gentis vocabulo dicunt) certè nullâ interpoſitâ morâ ſententiam in hunc fulminaturus eſſet: quid Judici, chriſtianis ſacris initiato, agendum erit, quem prima æquitatis principia meliùs ſcire, atque intelligere oportet, quàm Turcas? Nemo igitur inficiabitur, Leges pro re nata, diverſíſque adjunctis arctiores terminos, & exceptiones admittere. Id tantùm obſervandum, ut ejuſcemodi circumſcriptiones, ſeu limitationes aliis vel divinis, vel humanis Legibus nitantur, quemadmodùm etiam in ſuperiore, quem diximus, caſu videas; cæteroqui Juſtitia in præſentiſſimo verſaretur diſcrimine: ſi enim in Judicum noſtrorum voluntate ſitum eſt, Leges interpretari, atque enodare, proùt melius ad eorum rationes facit; & dicere, hanc vel illam Legem, quamquàm apertiſſimè quidpiam imperat, vel vetat, tamen in hoc vel illo caſu non obtinere, faciendo exceptiones ad Cauſidicorum ingenium, & votum; Leges ipſæ (id factum jam fuiſſe conſtat) peſſimo fato evertentur, nec ampliùs Legislatores, ſed Doctores ſibi poteſtatem vindicabunt negotia temperandi, diſponendíque, ita, ut infinitæ propemodùm res vel fierent, vel omitterentur.

Pari

Pari ratione per Judices ſtabit, cauſas forenſes pro libidine componere: nam ſi in argumento Legis ſibi fortes eſſe videbuntur, & in gratiam allegantis illam judicare, aliàs diximus, quòd plurimi Doctorum aſſerant, Legi obtemperandum eſſe, tametſi difficilis ac rigida videatur; aliis haud paucioribus adfirmantibus, Lege non diſtinguente, nec nobis diſtinguendum eſſe. Alteram ex adverſo partem votis ſuis damnaturus, inſolenti numero Doctores proferet, aſſerentes, Legem illam certis cancellis circumſcribendam eſſe, eámque in hoc caſu, quo de agitur, minimè locum habere. Cauſæ majoris æquitatis, melioríſque rationis, quibus fucum faciat, ſemper in promtu erunt.

At ſi res ita ſe habet, cuivis facilè intellectu eſt, quæ mala S. Themidi, mortalium poteſtati traditæ, inſtent, ex quo commendans, atque allegans Leges ſibi libertatem reſervat, eiſdem obſequendi, ſi arrident; refragandi contrà, ſi diſplicent: quod enim ad illa verba attinet: *Semper interpretationem vel opinionem, & rationi naturali, & communi uſui magis conformem ſequi oportet*; experiundo comperimus, *naturalem rationem* pulchrum eſſe nomen, quod in quamvis partem torquetur; & ſi

ex duobus contrariis causarum Patronis, & duobus Judicibus contrariæ opinionis percontamini, quilibet eorum adfirmabit, *naturalem rationem* à partibus suis stare. *Usus* autem *communis* si idem ac consuetudo, quæ difficilem ac rigidam Legem mitigavit, esse dicitur, nemo ferè in tali casu cum altero ex jure agere solet, quia tunc consuetudo in vicem Legis est. Verùm plerumque aliis lites intenduntur ob casus ancipites, quos Doctores, & variorum Tribunalium sententiæ in utramque partem præfractè defendunt. Eapropter ùt plurimùm ab intelligentia Judicum pendet, an in jus vocatus æquum postulet, necne, qui ut mente rectâ, ac maturo judicio præditi, & ab omni occulto, ne dicam aperto amoris, ac studii vento exemti sint, ardentissimis benignissimum Numen votis precemur.

Cæterùm ad Decisiones quod attinet, quas nonnulli Astrææ medullam, ac animam esse arbitrabantur, quamquàm nostrâ sententiâ ex bono & æquo esse possunt; tamen non omnes ejusdem sortis existimandæ sunt: quid quòd quasdam illarum perspicuè injustas esse liquet. Profectò isthæc à me nequaquam justo audacius ac liberius dicta esse autumo, ex quo suprà laudatus

Car-

Cardinalis, cui omnes Jurisperitorum chorus fasces lubens submittit, hunc fermè in modum in suo Tractatu de Stylo Legali Cap. XVII. scripsit: *Fieri potest, ut iniqua feratur sententia, & justitia male administretur, & nihilominùs bonâ methodo, docto & elegantissimo stylo fallaciæ cohonestentur, ac multis conclusionibus, Auctoritatibus, atque rationum momentis ornentur, cùm in Jurisprudentia ob ingentem Scriptorum copiam ac varietatem hodie nihil facilius sit, quàm injustissimis & iniquissimis quibusque resolutionibus fucum addere, eásque generalibus doctrinis atque regulis cohonestare.* Miseriarum, quibus Jurisprudentia oppleta est, necdum convictus, oculos velim in egregios penicilli ductus insignis hujus Jurisconsulti conjiciat.

His verba Deciani in Apologia contra Alciatum Cap. undevicesimo Num. quarto addantur, ubi ait: *Communis est hic casus, ut sæpè non solùm contra maximæ auctoritatis virorum sententias judicetur, sed etiam contra ipsam veritatem, vel errore, & ignorantiâ, vel sordibus, vel gratiâ, vel aliis de causis, quæ solent pervertere sanum judicium; non enim Judices nostri Principum Auctoritate coguntur sequi responsa prudentûm, ùt antiqui, nisi ex Statutorum muni-*

cipalium dispositione id cautum sit. Nil mirum ergo, si Judices, qui sæpiùs sunt imperiti, contra prudentûm opiniones judicant, gloriolam quamdam etiam aucupantes, quod nullâ moti prudentûm Auctoritate contra eorum opiniones judicaverint, quasi melius ipsi Juris & Justitiæ medullam gustaverint, quàm prudentes, qui de Jure responderunt, & ætatem suam in his studiis consumserunt.

At Judices, quantum in ipsis est, etiam Deciano reponere possent: Si vos Domini Doctores, vel publici Legum Professores, aut Advocati, qui magnificum vobis prudentûm titulum vendicatis, ii & fuistis, & adhuc estis, qui cum tot contrariis opinionibus speciem pyrrhonismi in Jurisprudentiam invexistis: eccur de Judicibus conquerimini, quòd nunc hanc, nunc illam sequantur opinionem? Eam ob caussam minimè subsistit, siquis dicere ausit, nos contra prudentûm rationes judicare; cùm nulli adstipulemur sententiæ, quam non plures ex vestris prudentibus calculo suo ratam esse jusserant. Quapropter de vobis conquerimini, quòd, vel ut docti videremini, vel ut Clientûm necessitati serviretis, & sub idem tempus crumenæ vestræ studeretis, tot diversæ ac contrariæ Con-

Concluſiones in cerebro veſtro natæ, ac per vos in uſum deductæ fuerint. Nec credatis velim, quòd indoles diſceptandi cupida, quam Legum Interpretes, ac prudentûm reſponſorum fabricatores ſortiti ſunt (hoc eos nomine appellare, id eſt, hodiernos Conſulentes palpo percutere nonnullis placet, quaſi verò *Reſponſa prudentûm* veterum Romanorum, ac *Concluſiones* ſeu *allegationes* noſtrorum Legulejorum idem eſſent) ſolùm poſterioribus hiſce Seculis tribuenda ſit, è qua peſſima conditione exitialis diſcordia fluxit, quam tot contrariæ opiniones in Jurisprudentia excitârunt.

Eâdem neceſſitate priſca quoque Secula premebantur, nominatiſſimis illis Jureconſultis, qui in Digeſtis oppidò magnæ ſunt æſtimationis, litteratum orbem illuſtrantibus: ſiquidem Marcellus contra Salvum Julianum, Julianus contra Paulum, Paulus contra Papinianum & Labeonem ſedulò calamum ſtrinxêre: Jabolenus autem cum Paulo Marcellum, Marcianus Scævolam, Scævola Pomponium, & Celſus, ut innumeros penè alios ſilentio prætercam, Labeonem ſtylo doctiſſimè impugnârunt. Nec quemquam admiratio ſubeat ob rationem, à me ſuprà Cap. VI. allatam; quia nempe fines ac limites æqui & iniqui


nescimus, variæque sunt mortalium sententiæ, atque ideæ: & hæc pestis nullo non tempore Jurisprudentiam vexabit; nec illi soli competit, cùm varias alias scientias, & artes complectatur, multum quidem certi, plùs tamen incerti, verisimilîs atque probabilîs, ausim etiam dicere, non parum falsi habentes.

Majore meritò admiratione adficiuntur, quotquot viderint, unum eundémque hominem in hac celeberrima Legum scientia à se ipso discrepare, id quod non præclarissimo duntaxat Justinianearum Legum Compilatori Papiniano, ùt ex *L. si venditor* § *ult. ff. de servis exportandis* luculenter apparet; sed etiam Scævolæ *L. Qui bona fide* §. *Siquis bona ff. de Acquirendo rerum Dominio* contigisse decantatum est. Id genus contrarias opiniones etiam in causarum Patronis, & Consulentibus, qui sub extrema Secula inclaruêre, observare licet: cumprimis autem notandum venit, Bartholomæum Salicetum, inter Jurisconsultos minimè postremum, eadem in causa duo sibi prorsùs contraria vulgâsse Consilia. Ad hæc mihi non latet, quàm grandem olim in contradictorio strepitum non nemo gentis nostræ Doctorum excitârit, adfirmans, ad Fideicommissum masculinum etiam masculos

culos ex feminis deſcendentes vocatos eſſe, proferendo & exaltando allegationem CCXXI. Palmæ junioris in famoſa cauſa Buffali. Per me Doctorem adverſarium in anguſtias conjiciat, & en! hic poſteriorem ejusdem Palmæ in cauſa Farina allegationem, in Collectione Deciſionum variorum Auditorum Deciſ. CCXII. vulgatam, in apertum producit, in qua contrarium defendens, eorum omnium palinodiam canit, quæ priùs hac ſuper re ſcripſerat. Adverſæ partis doctor, improviſo hoc fulmine ictus, derepentè obmutuit, & parùm abfuit, ut animo inſurgens bilem in Legum Magiſtros evomeret, qui metamorphoſes ſuas eo potiſſimùm nomine excuſare non neſciunt, quòd in poſteriore caſu verum majore induſtriâ examinârint, & feliciore conſilio invenerint, quin iis excuti poſſit, quòd majore curâ in id intenti ſint, quî propriis commodis ſtudeant, ac ex miſerorum injuriis diteſcant, quàm quî verum eruant.

Hæc, repeto, minimè gentium eum in finem à me dicta velim, ut omnes ac ſingulos Cauſidicos, & Conſulentes ſublestæ fidei reddam, multóque minùs ut Conſiliorum atque Allegationum, Jurisperitis in apertum lucémque emiſſarum, uſum

inutilem, ac vituperabilem eſſe cenſeam: nihilominus optandum eſſet, ut omnes cauſarum Patroni, ac Conſulentes, dum munere ſuo funguntur, ex voto Deciani comparati, & ut omnes Jurisconſulti iis & animi, & naturæ dotibus ornati eſſent, quas Franciſcus Rapolla, in Academia Neapolitana publicus Profeſſor in inſigni ſuo Opere *de Jurisconſulto* deſiderat.



CAPUT

CAPUT IX.

An hodierna Jurisprudentia in meliorem ordinem redigi possit?

UT primùm mortales, sagaciorem indolem sortiti, Jurisprudentiæ, in usum atque exercitationem deductæ, nævos, corruptelas, ac confusiones animadvertunt, imperare sibi non possunt, quin continuò desiderio inflammentur, ut iisdem, quoad feret facultas, remedium adferatur. Desiderium sanè justum & æquum; quod fortassis etiam in omnium eorum cordibus nascitur, quotquot fati sævitiâ litibus divexantur, quibus nunquam impositum iri modum sat perspicuè vident. Hoc duntaxat peracerbum mihi cadit, nullum esse medium, quo mox dictis nævis medeamur, & solùm in Accessoriis quoddam sperari posse: nam dum stabit hujus machina mundi, casus controversi, conjecturis tantùm innixi, erunt, in quibus determinata veritas aperiri nequit, & quos dum

dum ſagaciora & ſinceriora etiam ingenia expendunt, atque rimantur, malleum inter & incudem, quod ajunt, hærere ſolent, ſecundùm quam partem pronuncient.

Atque id genus caſus maximam partem ad Judices adferuntur: alios enim, quibus per Leges vel ſat liquidò, vel ſufficienter conſultum eſt, haud ita facilè in Tribunalibus videas. Equidem & iſti caſus controverſi decidentur, ita, ut præſumi poſſit, cujuslibet deciſionem fuiſſe juſtam; nemo tamen ejus rei certam & exploratam habebit notitiam: ſi enim in ſecunda, vel tertia cognitione (*inſtantia* vulgò dicitur) vel in *reviſorio* (recognitionem actorum, ſeu cauſæ dijudicatæ latiniùs dicas) ad alios Judices devolvendi ſint, contrariæ mox deciſiones emanabunt. Dein cùm omnibus mortalibus nunquam eadem mens ſit futura, explorata res eſt, quòd, ubi controverſæ, & tenebras menti offundentes materiæ occurrunt, non uno modo ab omnibus accipiantur; pars hoc, pars alio fundamento nitantur, & cum Judicum intellectu inconſultè ac temerè ſecretus affectus conjungi poſſit, qui ad gratiam, aut ad pœnam conſilia flectat: ac proinde nemo conjecturâ aſſequi, quæ ſit ſententia; nemo certò dicere poterit, num ea, quæ lata eſt, æqua ſit,

sit, an iniqua. Præterea experientia nos docet, non omnes & singulos Judices, qui in supremis etiam Tribunalibus munus judicandi sustinent, esse Doctorum vertices, ac in omni elegantis doctrinæ scientia florere: quid quòd & Viri omni doctrinâ politissimi speculationibus, & subtilitatibus suis ad usque nubium caligines, & ipsa cœli confinia non rarò tendunt, dúmque silurum in nassam suam pertraxisse sese credunt, vesicarum fascem se denique cepisse advertunt.

Non existimo, hæc à me justo majore audaciâ, vel minore in Serenissimam Reginam, Astræam, reverentiâ dici, cùm expertus loquar. In omnibus Provinciis, quin & Romæ, ubi Tribunalia, siquid ego judico, majorem exigunt venerationem, cùm ibi sit flos Jurisprudentiæ, ac judicia ad miraculum bene instituta: in omnibus, inquam, Provinciis, ac civitatibus simul ac sententia data est, novum Judicium super eadem causa institui solet. In hoc rerum articulo in libellis supplicibus, ac Causidicorum scripturis ingens mordacium dictorum grando emergit, quibus & sententiam, & Judices, qui eandem rogârunt, petere non dubitant, illam licenter iniquam, hos verò litterarum admodùm ru,

des-

des, ac Bardos criminando, qui dein virtute infusâ ſunt præditi, ut eapropter in iras non exardeant, ac inſuperhabitis indiſcretis horum blateronum gerris ſibi ipſis fidem habere, atque Doctores & primæ Auctoritatis Magiſtri eſſe pergant.

O! dicet fortaſſis non nemo, decretoria ſaltem ſententia, quæ poſt provocationes, & recognitiones controverſiam ad finem adducit, ita comparata erit, ut omnibus ac ſingulis palam fiat, ubi fas, ubi nefas ſedem ſuam fixerit. Nihil hìc moror, quòd nullus ferè litigantium causâ cadat, cui Decretum, quod ſpei atque exſpectationi ſuæ tantoperè adverſatur, non injuſtum videatur; quia ejusmodi judicium plerumque ab ignorantia, & animi commotione proficiſcitur; cùm tamen credere oportet, decretoriam illam ſententiam à ſcientifica meritorum cognitione, & illibato, ac veri duntaxat juſtique ſtudioſo animo procedere. Grande profectò malum, etiam Advocatos causâ cadentes, cætera licèt ſcientiîs probè ſubactos, ſæpenumerò id ipſum, quod Clientes, credere. Malorum autem caput eſt, aliam procul dubio, ſi cauſa jam compoſita denuò in judicium deferri poſſet, eámque longè diverſam, aut contrariam omninò datum iri ſènten-

sententiam. Ita ut priùs semper ad conclusionem redeamus, nempe Justitiam matronæ velatæ specie coopertis oculis depingi, ut scires, Judices in alterius faciem oculos suos nec figere, nec affectu, aut partium studio duci debere, dum sententias proferunt; sed easdem etiam oculis captum pronunciare posse, non malâ voluntate, sed abstrusâ rerum veritate, & intellectûs capacitate, ac qualitate, quæ in omnibus haudquaquam eadem est.

Jam ad extremos & accessorios Jurisprudentiæ nævos decurramus. Et primò quidem ad Justinianearum Legum Corpus quod attinet, eas cum docta Jurisperitorum Republica amplissimo honore ac veneratione adficiendas esse arbitror, firmiter mihi persuadens, easdem innumera ferè eáque mirabilia continere lumina, quibus illustrati Judices super mortalium bonis ex æquo & bono judicare possint. Verùm his juxta habitis dicere mihi liceat, id Legum Corpus nec esse Librum è cœlo nobis missum, nec numeris omnibus adeò absolutum exemplum, ut eo perfectius humana Jurisprudentia mente concipere nequeat; siquidem in illo Leges dantur, quæ non modò discrepant, sed etiam sibi invicem adversantur, quemadmodùm Franciscus Rapolla,

Rapolla, doctissimus in Neapolitana Academia Professor Lib. II. *de Jurisconsulto*, ut plures alios sileam, observavit. Dein plurimæ illarum obscuræ, ac tam crassis circumfusæ sunt tenebris, ut, qui eisdem utuntur, acroceraunii montes objiciantur: quid quòd permultæ earum superfluæ, atque inutiles hac tempestate nihil quidquam commodant. Quamobrem hi libri haud dubiè in summam redigi, ac decurtari possent. Quod autem adhuc pejus est, per tot tantásque Leges nova causis accessêre augmenta, atque identidem accedunt.

Quid Tacitus, qui jam ævo suo in hæc verba scribere non dubitavit: *Antehac flagitiis, nunc Legibus laboramus*; quid, inquam, Tacitus dicturus fuisset, si immensam Legum, jubente Imperatore Justiniano collectarum, farraginem vidisset? Certum est, Platonem, aliósque, sapientes Philosophos ejus fuisse opinionis, Leges nempe paucas admodùm esse oportere, sed bene observandas. Ratio prioris hæc est: quia *apud quos plurimæ Leges, ibi & lites, itémque mores improbi.* Videndum igitur esset, an justo ii tenerentur desiderio, qui brevius Legum Corpus suspirarent.

Nicolaus

Nicolaus Vernulejus, ut alios missos faciam, Instit. Polit. Lib. III. Tit. II. Quæst. IV. tanquam rem perquàm utilem proposuit, *ut pro tot indigestis Legum voluminibus unum breve haberemus, & perspicuum Juris compendium*, quod à Principibus approbatum eorum memoriæ juxta ac usui facilius redderetur, qui in Juris Civilis studia incumbunt. Eadem planè cupido Multzium incesserat, qui *Repræsent. Majestat. Imperial.* Par. II. Cap. I. §. VI. *Multi*, inquit, *de Jure Romano è finibus Germaniæ expellendo alii de illo in ordinem & compendium redigendo, novóque Corpore Juris formando cogitârunt; quorum sententia utinam obtineret?*

Meherclè hoc problema Sapientibus proponi posse arbitror: an scilicet Jurisprudentiæ nostræ utilitatem augeret, si Principes exactissima, & perspicua excerpta, methodicúmque omnium Justinianearum Legum, ad nostrorum potissimùm temporum usum facientium, compendium confici curarent, superfluas, reprobatas, ac contrarias resecando: vel an utilius eidem foret, pristinas Leges, quamquàm multis Legulejorum obscuras, & aliis ex capitibus defectas, servare? Quisquis

Cujaccii, Francisci Balduini, Francisci Hottomanni, aliorúmque similium, tametsi abs Triboniano abalienatorum, opera legerit, non poterit non fateri, plures in Juris Civilis Corpore nævos inveniendos esse. Nec desunt, qui culpam omnem etiam Triboniano attribuant, quòd tot excellentium, quibus Roma gloriabatur, Jureconsultorum opera pessumierint, super quorum ruinas ille gloriæ suæ trophæa extruxerit; id quod non variis duntaxat Budæi lamentis, sed eleganti etiam Orationi, à Gennaro Advocato Neapolitano in illum compositæ, ansam præbuit, quam Lector in Libro, cui Titulum præfixit: *Respublica Jurisconsultorum*, reperiet. An plura desideratis? Ipse Baldus Consil. CXXII. §. *Verba testam. in fin.* Lib. I. fassus est, Leges ad captum longè impediticissimas esse, sæpiùsque videri, eas hoc illúdve præscribere, dum aliud imperant, ita, ut eapropter Doctores non rarò se ipsi decipiant. Quotiescunque Principi melius & consultius videretur, easdem ab ejuscemodi obscuritatibus liberare, methodica, fortasse Analysis à Daniele Venatorio Codicis, & Pandectarum facta, tanquam exemplum ad instituti rationes facere posset. Deinde cùm usus nos doceat, quòd tot tantíque pedanei Judices, ac leviter tincti Doctores Latium vix

vix supremis labiis gustaverint, ac multò minùs illud Justinianearum Legum calleant, consultius fore existimo, si Leges illæ in lingua vulgari, ac vernacula conscriberentur, collectâ earum summâ, quemadmodùm Bartolus, Baldus, Paulus de Castro, Salicetus, aliique plures fecêre: nihilominùs super his non modò Accursium, Bartolum, aliósque veteres Interpretes, sed etiam eruditissimos quosque; qui duobus abhinc Seculis Jurisprudentiam mirum in modum illustravêre, in consilium adhibendos esse arbitror. Hæc cum debita iis submissione ac reverentia dicta sunto, quos natura meliore mente ornavit. Justinianus denique dominatur, & non ita me efferrem, ut eum in illa parte imperii, quod & diversa Statuta, & locorum consuetudines in Italia Eidem concessêre, perturbatum irem.

Sed ad alium potiùs mundum, quàm Justinianeum, ad hodiernam nempe Jurisprudentiam gradum faciamus. Si duo semissibus, aut quatuor vel quinque quadrantibus foliis edita Justinianearum Legum, interpretationibus ac commentariis instructarum, volumina lectitando contrivimus, grandem profectò superavimus fluvium (per me Eridanum vel Istrum, Tibe-

rin vel Euphratem dicas; fluvius tamen erit) idque eò magis si duntaxat Legum verba sine interpretationibus ac commentariis sumamus. Verùm siquis hodiernam Jurisprudentiam attentiore mentis oculo considerat, ecce tibi mare, & quidem mare vastissimum. Justinianus nec omnes & singulos casus, litibus obnoxios, conjecturâ assequi, nec omnia dubia, è diversis adjunctis, & innumeris actionibus, & hominum voluntatibus scaturientia, solvere potuit.

Ulpiani, Papiniani, Triboniani post Seculum XI. plurimi fuêre, qui maximam Jurisprudentiæ opem tulerunt, infinitas penè quæstiones decidendo, ac innumeras ferè Conclusiones, quas hodie Forum sequitur, statuendo. Indéque illa librorum eluvies orta est, è qua Jurisperitorum potissimùm bibliothecæ constant, quarum tamen quælibet, insuperhabito insolenti Librorum numero, plures eorum numerat, qui desiderantur, quàm qui habentur. Verùm siquis, ùt aliàs Cap. IV. memoravimus, eâ duceretur opinione, quòd immensa juridicorum voluminum moles Jurisprudentiæ multum emolumenti attulerit, næ illum peramanter edocere oportet, quòd sit peregrinus in Israël, & ne Æsopum quidem trive-

triverit. Ex quo intermortuæ scholæ in Europa resuscitatæ, & exules Musæ postliminio restitutæ sunt, omnes ferè aliæ scientiæ, atque artes, quas perspicaciora exercuêre ingenia, à multis eas purgando erroribus, majorémque veritatis lucem acquirendo, mirificè profuêre publico. Si scire avetis, quid commodi tot tantíque litterarii Jurisperitorum partus, in lucem dati, attulerint, hodiéque afferant; prudens & æquus mercium istarum Censor nil nectens morarum absque fuco animum proferet suum, palámque dicet, eapropter nec unicam litem festinantiùs compositam, quin largum potiùs apertum esse campum, causas forenses augendi, & in annos plurimos protrahendi: Jurisprudentiam haud injuriâ jam longo tempore amplissimam Regionem vocari posse, in qua acutum tot Jureconsultorum ingenium, & sophistica, vel si mavis dicere, perspicacia infinitos cespites, spinas, ac tribulos seminavit, ita quidem, ut in juridicis materiis tot sint opiniones, tot contrariæ sententiæ, ut, ubi veram ac desideratam rationem, quò in Judiciis non fallaris, reperias, haud ampliùs scias.

Inde postmodùm gravissimum malum natum est, & identidem nascitur, quòd,

cùm Jurisprudentia incredibili opinionum confusione oppleta sit, quarum una alteri adversatur, & probabilis vel ex eo capite videtur, quòd cuilibet earum caterva Doctorum subscribat, Judices in Justitiam dominentur, sibi penitùs persuadentes, quòd citra culpam & salvâ fide hanc præ alia opinione sequi, huic magis litiganti, in quem bene affecti sunt, quàm alteri palmam in hac controversia adjudicare, atque in alia si non omninò ejusdem, certè similis materiæ contrarium facere possint. Hunc in modum Fusarius, Cencius, Gutierez, Riminaldus senior, & Cardinalis de Luca locuti sunt, ac duæ Decisiones Romanæ Curiæ habentur: ad hæc prudenter de hac controversia judicare oportet? animum minimè attendunt, an tot alios Auctores inter & Decisiones, quas haud ita facilè refellas, tametsi nonnulli eas susque deque habeant, de illa conveniat.

Ad mali cumulum accedit, quòd novi hi Legumlatores, vix heri nati, tantâ polleant auctoritate, ut eorum sapientiæ major habeatur fides, quàm ipsis Legibus, id quod suâ jam ætate Curtius junior Consil. XLIII. Num. V. advertit, ac deploravit. Præterea in libris suis, quin & in aliquibus

quibus Decisionibus asseruerunt, unius solius istorum infallibilium æqui & iniqui Magistrorum opinionem atque auctoritatem sufficere, ut causa dubii juris, & transactioni justè obnoxia reddatur; *quod pro meo sensu est periculosum*, ùt loquitur mox laudatus Purpuratus Doctor de Luca de Fideicommiss. Dissert. CXL. Num. IV. Imò quotiescunque aliquis Doctorum controversiæ favet, qui *in terminis* loquitur, & eam decidit, ab illius sententia usque adeò standum est, dum alius inveniatur, & producatur, qui diversæ opinioni adstipuletur. Ita Gratianus Discept. Forens. DXXXI. Num. XXIX. aliique ibi citati docent. Et hanc nobilem conclusionem, à Decisione LV. Curiæ Romanæ confirmatam, Bacichelli in suo Tractatu *de Distantiis* §. *Et è contrario* profert.

Quòd si de Consulentibus agitur, quamquàm ii in magnifica Astrææ Aula inferioris ordinis Proceres esse censeantur, nihilo tamen minùs, ùt Magonius Tom. II. Decis. Luc. XV. Num. XXVII. plurésque alii existimant, major uni eorum fides tribuenda est, quàm Repetentibus, & omnibus, quotquot docendi provinciâ in Academia quadam functi, doctissima scripta sua publici juris fecère, eo fortassis ma-

ximè nomine, quòd horum últimi se solis Legibus, id est, inusitatis & rancidis edictis purgent, & novo mori, sive ingeniosis & invincibilibus, Allegationes & Consulta facientis, reflexionibus prærogativa debeatur. Et ut ingenuè fatear, jam diu multúmque Cathedraticos inter & Practicos hac super re disceptatum est. Verùm multi adduci non poterunt, ut credant, in causis forensibus vel unum Jurisconsultum dari, qui sententiam suam produxerit. Usus, optimus rerum magister, nos docet, perpaucos esse, qui non adversarium invenerint; nec inficiari potest, Studium hodiernæ Jurisprudentiæ esse seminarium contradictionum; tot nempe sunt Conclusiones Legales, quas alii pugnacissimè defendunt, rejiciunt contrà alii, iisque contradicunt.

Jurisperitis Italis, quos jure optimo gentem dixeris, quæ quæstuosam suam artem perdere non vult, tametsi nævos artis suæ meliùs cognoscant, quàm ego, tamen nunquam persuaseris, ut eos perstringant; sed nec conqueruntur, crudele adeò doctrinarum bellum dari: imò admitti posset, id nonnullis causarum Patronis, & Judicibus placere, eoquòd hac ratione non modò lites frequentiores fiunt, sed etiam modus eas defendendi, atque libertas ad suum arbitrium

bitrium libidinémque, sine conscientiæ morsu, judicandi faciliores redduntur. Nec eo seciùs sub finem Seculi XVI. Hieronymus Zanchius Bergamensis laudabili sanè opere contrarias præcipuorum Consulentium sententias in apricum protulit. Quemadmodùm etiam post medium superioris Seculi Paulus Franciscus Perremutus, Jurisconsultus è gente Sicula, totus in eo fuit, ut hodiernæ Jurisprudentiæ nævos divulgaret, infinitas propemodùm controversias, ac contrarias Interpretum Legum, Consulentium, ac ipsarum etiam Curiæ Romanæ Decisionum opiniones (aliorum Tribunalium sententiis enumerandis supersedeo) in quinque Volumina cogendo. Hunc librum, incredibili labore confectum, ad pacem & concordiam in hac nobili scientia non quidem conciliandam, sed ad arma duntaxat cùm offendentia, tum defendentia omnibus, quotquot eandem profitentur, subministranda perquàm utilem esse meritò dixeris.

Non mihi latet, fuisse non neminem nostrorum Jurisperitorum, qui Operi hujus Perremuti tot additamenta ac Corollaria adjungeret, ut alterum Volumen constituerent. Doctissimi hi viri, qui anno à puerpera Virgine millesimo supra septin-

gentesimum tricesimo Mediolani Decisiones mox dictæ Romanæ Curiæ in quatuor Volumina, seu Tomos coëgerunt, turbidas illas aquas nequaquam celârunt, queîs Jureconsulti sitim suam jugulare continuò laborant, dicentes: *Sæpè occurrebat opinionum pugna, decisionum repugnantia, & frequentissima Legum & Constitutionum antinomia.*

Nullam hìc de tribus Tomis Elisei Danza mentionem infero, quos inscripsit: *Pugna doctorum;* eoquòd hic titulus fallax est, & Operis substantia illi minimè respondet. Dicam enimverò, quòd post Joannem Bellonium, Horatium Cardon, Antonium Mariam Coratium ex variis Auctoribus *Communes Opiniones* Legales, quæ ævo suo, ineunte nempe Superiore Seculo obtinebant, in tribus Tomis collegerit, ejúsque labor ad introducendum in Tribunalibus ordinem utilis censeri posset, nisi Zevallos, gente Iberus, cujus suo loco meminimus, iisdem ferè temporibus ostendisset, quàm istæ communes opiniones cum oppositione tot aliarum pariter communium, quæ omnem propè numerum abhorrent, incertæ sint. Nec illa Legum scientia post hos Scriptores aliquod robur, vel firmitatem obtinuit, quia opiniones continuò mutationem

tationem subeunt; ita, ut modò hæc, modò illa pro Advocatorum, & Judicum arbitratu dominetur.

Nec quisquam sibi persuadeat, opinionem in Tribunalibus vim Legis habere, quia modò hæc, modò illa in pluribus impressis Auctoribus confirmata invenitur. In aliis casibus, cùm quis vel contrarium defendere debet, vel sponte suâ ad judicandum diverso modo propensus est, illa fidem amittet, idque eò magis, quia, si majorem talium opinionum partem cum longa sectatorum suorum serie examinaveris, Doctores alium ex alio (Grues diceres) illius Doctoris, qui primus eam docuit, vestigia secutos fuisse reperies, quin argumentorum, & rationum momenta bene ponderarent, exigente id causarum suarum commodo. Verùm malum ex eo maximè augetur, quòd Jurisperiti commodo huic modo assuescant, credántque, Opiniones Legales abundè probatas, atque stabilitas esse, si Auctores produxerint: quo fit, in Theorica nullum ut faciant progressum, nec scientiam, nec rerum causas sectentur, aliorum fidei & doctrinæ satis fisi. Hunc abusum Benevenutus Straccha in suis Annotationibus ad Opera Cravettæ observans, scripsit: *Evenit nonnunquam, ut veluti ovem*

ovem unam ſaltantem ſequuntur aliæ; ita & Doctores faciant, magni Doctoris veſtigia ſectantes, æquum ab iniquo ſeparare ulteriùs non ſtudentes; licitum ab illicito diſcernere non ampliùs cogitantes; bonum & æquum noſcere minimè, ùt par eſt, laborantes.

Varii ex intervallo eruditionis laude præſtantes Juriſconſulti, præcipuè in Germania, in hodiernam Jurisprudentiam calamum ſuum acuêre, ab ea non antiquam modò, & ipſas etiam Leges, maximâ tamen veneratione ſemper digniſſimas, corruptas atque peſſumdatas eſſe cauſati; verùm etiam dolos, quos Accurſius, aliique cùm veteres, tum hodierni Legum Interpretes conſuerunt, aperientes, ac immoderatam inconſtantiam, & intolerabilem diſcordiam deflentes. Antonius Faber, miri, & fortaſſe nimiùm etiam ſubtilîs ingenii Jureconſultus, plura volumina *de Pragmaticorum erroribus* compoſuit, contra quos etiam Eduardus Caldera, natione Luſitanus, in arenam deſcendit.

Jam cùm Jurisprudentia tot tantíſque voluminibus non illuſtrata, ſed obſcurata, ab innumerabilibus Scriptoribus non elevata, ſed oppreſſa, in tam malo ſtatu verſetur:

tur: quæres, an externis saltem Jurisprudentiæ hac mole quasi morbo laborantis, ac medelam suspirantis defectibus atque nævis nullum medium restet, cùm, ùt aliàs diximus, interni ejusdem nævi medicinâ majores sint? Ego prudentûm maximè, & subditorum suorum commodi studiosorum Principum esse dico, ut ad hanc quoque non ultimam Reipublicæ necessitatem ac cladem animum suum seriò intendant. Astræa nequaquam relictâ terrâ in cœlum evolavit, quemadmodùm non nemo Poëtarum finxit, ac somniavit, temporum suorum forsitan confusionibus, ac sceleribus, quæ latè dominabantur, offensa. Justitia adhuc terram incolit, quamquàm indignis modis accepta; quamquàm in hoc aut illo Tribunali vexata: quamquàm variis molestisque jocis & ignominiis subjecta, quibus eam Domini Doctores, ejusdem Proceres, tametsi de pane, & mensa illius vivant, concidere non verentur, seu quod idem est, privatis rationibus ducti eam ita vestiunt, comunt, fuco illinunt, ac depingunt, ut eandem haud ampliùs cognoscas. Si integri ac religiosi Judices Justitiam quærant, eam ab inimica sua (Injustitiam intelligo) Lynceis licèt instructi oculis discernere haud valent.

Quid

Quid igitur Saturni temporibus celeberrimi Principes egerunt, ut hanc pestem è medio tollerent? Magno studio illis semper est elaboratum, ut Justitiam ab abusibus, & supremo dominio, quod astuti ac callidi ejusdem Proceres usùrpârunt, immunem redderent, novas Leges statuendo, inutiles, aliásque, à servis ejusdem Justitiæ introductas, abolendo; ut breviter dicam: ætatis suæ Jurisprudentiam corrigendo.

Suetonius in vita Julii Cæsaris, qui primus Romani Imperii jura temperaverat, Cap. XLIV. refert, quòd ille *Jus Civile ad certum modum redigere, atque ex immensa, diffusáque Legum copia optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros destinavit.* At pulcherrimæ rei votum fatum destituit. Marcus Aurelius Antonius, inter Romanos Imperatores celebratissimus, *Jus magis vetus restituit*, ùt Capitolinus de eo testatur, *quàm novum fecít.* Tertullianus sedente ad imperii clavum Septimio Severo ad Senatum Romanum Apologiam suam scribens: *Nónne,* ait Cap. IV. *& vos quotidie, experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem, & squallentem silvam Legum novis Principalium rescriptorum, & edicto-*

rum

rum securibus truncatis, & cæditis? Constantinus rerum Romanarum Arbiter, quem res præclarè gestæ Magni nomine ornaverant, confusam plurimarum Legum ac Librorum farraginem, qua Jurisprudentia inhorruerat, videns, & ipse manus operi admovit, Nazarii verba in ejusdem Panegyrico optimâ fide adnumerabo: *Novæ Leges regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ, veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitati laqueos perdidêre.* Verùm hæc media parùm emolumenti attulere. Eam ob rem Theodosius II. sive Junior ratus, se Jurisprudentiæ arctis in rebus opem laturum, Leges ac Constitutiones Principum ad suam usque ætatem editas in unum librum colligi curavit, qui inde dictus est Codex Theodosianus, *in quo detersa nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ fuerant, compendiosum divalium Constitutionum scientiam proposuit.* Sed nullâ Codicis hujus habitâ ratione, Jurisprudentiæ confusio eousque invaluit, dum Justinianus Imperator animadvertens, quantum immensa Legum ac voluminum, à præcedentibus Jureconsultis vulgatorum, moles Justitiæ incommodaret, tam Legibus Imperialibus, quàm gravissimorum Jurisperitorum sententiis in unum Corpus coactis, omnem aliam

aliam Legalium opinionum congeriem, utpote quæ in Aſtrææ Regno ceu totidem ſcopuli eſſent, ad quos alliſa quies publica concideret, abrogavit, ac penitùs eliminavit.

Verùm enim verò ii ipſi, qui elapſo aliquot Seculorum curriculo in Italia Juſtiniani Jurisprudentiam reſuſcitârunt, eandémque quaſi pro Numine lunato genu venerari ſeſe venditârunt, res novas contra clariſſima ejusdem Imperatoris mandata moliri, Leges ab eo factas interpretari, dein ingeniis ſuis frena laxantes, Legislatoris ac Dictatoris munus ſibi arrogare, illarum Legum intentionem, ac ſupremi Legislatoris voluntatem amplificare, arctioribus terminis finire, & non rarò omninò reprobare religioni ſibi neutiquam duxerunt. Eáque propter, quemadmodùm Baldus Conſil. CCCXCVIII. dicere ſolebat, *Diſcordia in opinionibus inter Doctores eſt res naturalis*; tandem illud opinionum, & rerum incertarum chaos ortum eſt, quod in Jurisprudentia offendimus, quódque ab eo imprimis deploratur, qui neſcio, quo fato, judicio conflictari debet. Id ipſum quoque Cardinalis de Luca, æquus ſcientiæ ſuæ Cenſor, in Doctore Vulgari faſſus eſt, dicens, videri *Legem*

quaſi

quasi totam ad opiniones esse reductam, quemadmodùm in medicina, & omnibus aliis scientiis, ac Artibus verificari videtur.

Nec confusio, in quà Justinianus Jurisprudentiam invenit, cum illa hodierna comparari potest, cùm sexcentorum annorum spatio, ex quo in Italia Romanarum Legum studium denuò revixit, Italia, Germania, atque Hispania *Utriusque Juris* Doctoribus adeò fœcundæ extitêre, ut hæc scientia plures Libros foras dederit, quàm quævis alia. Et sanè in discrimine suffocari versaremur, nisi stimulante commiseratione, qua erga nudas sardinas tacti fuêre, tot vetusti & rancidi scientiæ hujus libri, tanquam consilia, ad eas vestiendas, ut ne frigore enecarentur, fuissent condemnati. Nec silentio involvendum censeo, quòd etiam nova ratio seu methodus in Jurisprudentiam irrepserit. Azones, Bartoli, Baldi, Odofredi, Bellameri, & id genus magna nomina, quos litteratus olim orbis tantoperè suspexerat, in Legalibus Bibliothecis vel non comparent, vel si in quodam angulo infeliciter pulvere obsiti delitescunt, haud ampliùs eo honore digni existimantur, qui vel consideratè legantur, vel in consilium adhibeantur, cùm

ſolos libros, quos & duo priora Secula, & præſens protruſêre, gloria Jurisperitos noſtros inſtituendi maneat.

Jam ſi vetuſtas nullo non tempore Jurisprudentiam, quam jure optimo hortum dixeris, qui, quò magis colitur, eò plures ſpinas ac tribulos germinat, pro viribus corrigere, & expurgare contendit: non aderit Princeps, qui laboranti, ac male adminiſtratæ Juſtitiæ prudenti, & utili medio ſuccurrere animo volvat? Innumerîs curîs lacerantur, ut tot alios abuſus, ac Reipublicæ peſtes evellant, & deſtruant, & diſperdant & diſſipent. Fortaſſis illam parvam, nullóque loco habendam eſſe cenſent, quam omnes unam ex graviſſimis civilis Regiminis eſſe arbitrantur? Verùm quale erit iſtud medium?



CAPUT

CAPUT X.

An consultum, & utile foret, omnem Jurisprudentiam ad solum studium Verborum Legis revocare?

PRimum medium, quod ad Legalem Rempublicam tot tantisque tyrannis, qui in eam insurrexêre, momento temporis liberandam aptum ac proprium videretur, fore arbitror, si illa ad eosdem terminos reduceretur, in quibus ipse Imperator Justinianus, ut permaneret, omnibus votis desideravit, id est, ut omne Advocatorum, ac jus dicentium studium solis Legum verbis reservetur, immensâ omnium Interpretum, Consulentium, eorúmque, qui Tractatus compilârunt, turbâ penitùs exterminatâ. Reapse Victor Amadæus Sardiniæ Rex, & Allobrogum Dux, incredibili, & penè divinâ ingenii acie juxta ac optimis, quas Provinciarum

ſuarum bono ediderat, Legibus ſummoperè commendandus Princeps, ubi anno à recuperata humano generi ſalute milleſimo ſupra ſeptingenteſimum viceſimo nono ad corrigendam Jurisprudentiam animum appulerat, inter alias conſtitutiones Lib. III. Titul. XXII. §. IX. ita ſtatuit: *Volumus, ut in deciſionibus cauſarum primò duntaxat noſtræ Conſtitutiones, ſecundò Statuta Localia, tertiò Deciſiones noſtrorum Magiſtratuum, & quartò denique Textus Legis Communis obſerventur: ita pariter Advocatis in ſuis allegationibus vel unum Doctorem in materiis legalibus citare, & Judicibus tam ſuperioris, quàm minoris ac infirmioris poteſtatis eorum opinioni accedere prohibemus, ſub pœna &c.* Id ipſum Dux Urbinus in ditionibus ſuis edicto ſanxit, atque longo temporis intervallo in Gallia, Anglia, Venetiis, aliisque Regionibus uſu exercetur: ex quo apertè patet, quòd etiam hæc regna conſultius eſſe cenſuerint, ſolis Conſtitutionum, à Principibus emanatarum, verbis, Statutis, & Provinciarum locorúmque conſuetudinibus inhærere, ſine quibus controverſiæ, ac Judicum mentes cum tot Auctoribus perturbantur, qui Legislatores, & Magiſtros agere, atque decernere volunt, quid in tot tantisque caſibus

æquum, quidve sit iniquum, tametsi inter eos postmodùm minimè conveniat.

Et sanè videtur istud medium multâ commendatione esse dignissimum: siquidem date mihi ex una parte quempiam, qui in omnibus primis Justitiæ & æquitatis principiis sit exercitus, ac in tantarum Legum, & provisionum à Supremo quodam Principe, vel aliis, qui rogationem ad populum ferre possunt, factarum cognitione probè fundatus. Date mihi insuper, qui in omni judicio elegantissimus, ac altâ mente sit præditus, aliúdque ex alio convenienter rationi inferre, atque doctrinas casibus accommodare sciat, quemadmodùm de omnibus Judicibus, ad decidendas magni momenti causas delectis, piè credere oportet: hic talis omnibus ad singulares controversias severè religioséque, quantum per mortalium vires licet, componendas necessariis dotibus instructus est. Si in tot tantísque casibus certa veri & æqui cognitio erui nequit, saltem vir omni doctrinâ politus, & in Legalibus principiis exercitatus, ac ad Testatorum, & Contrahentium voluntatem, intentionémque penetrandam perspicaci mentis acie ornatus id inveniet, quod propius fidem est, & secundùm illud judicabit. Hac de causa Doctor Paragrapho-

 rum

rum pluris æſtimari ſolet, quàm omnes Doctores, qui Muſas à limine ſalutârunt, ad proferendas duntaxat impreſſorum Doctorum Auctoritates apti, dummodò ille hos Paragraphos propoſitis controverſiis bene aptare non neſciat.

Ex altera parte è re erit, ut cauſarum Patroni, ex quo aliorum Anteceſſorum ſuorum Auctoritatibus haud ampliùs uti poſſunt, ad eruendas ac inveniendas rationes, quibus actionem ſuam magis quàm Adverſariorum cum æquitate conjunctam eſſe perſuadeant, toto pectore incumbant. Profectò ratio hujusmodi eſſe deberet, quæ Judices ad ferendam hanc potiùs, quàm illam ſententiam moveret, longâ Auctorum, hanc vel illam Concluſionem docentium, ſerie omiſsâ: quia tametſi Auctores aſſertiones ſuas non ſine ſolidis rationibus proponere, & minimùm ii, qui omnium primi opiniones ſuas in apertum producunt, easdem fortibus & Achilleis ſtabilire argumentis creduntur; nihilo tamen minùs cùm iisdem non rarò alii Auctores contradicant, & nec hos ſolidæ rationes deficiant; quî Judicis intellectus ab Auctoribus inter ſe adeò diſcordantibus illuſtrabitur, quorum non pauci etiam pecuniîs bene uncti erunt, ut ſententiam ſuam in illas adſer-

adsertiones conferant, eâdémque dexteritate, & fortitudine contrarium defensuri essent si alius Cliens eorum ingenium atque industriam emeret?

Ad hæc cedò quis illi Domino Lectori, aut Doctori potestatem fecit, Leges scribendi, quas Prytanea, ac Tribunalia amplectantur? Leges jubere, Judicésque ad eas servandas adstringere nonnisi, qui summam rerum tenet, potest, vel cui Supremi Principes eas condendi facultatem concedunt. Sed dicet fortassis non nemo, quòd Auctores Legales eum, qui sententiam ferre debet, minimè adstringant, sed duntaxat ad dirigendum judicium Jus dicentium, vel Tribunalium plurimùm conferant, ut in causis ancipitis aleæ, ac dubii juris ex æquo & bono judicare valeant: siquidem illâ materiâ non ad arbitrium, & libidinem suam quàm diligentissimè examinatâ, eam opinionem approbârunt, contrariámque reprobârunt. Hoc pacto fateri demùm oportet, illas rationes, minimè verò nomen hujus aut illius Doctoris opinionem Legalem confirmare; eáque propter concludendum denique est, consultiùs magísque securum esse, in causis forensibus rationes, & non Auctoritates usurpare; idque eò magis, quòd hi Auctores Juris-

prudentiam nimiùm infecerunt, eandem obſcuram, incertam, ac bellis & diſcordiis plenam reddendo. Quamobrem æquum eſſe videtur, ut eorum regnum tandem finiatur, ac Juris ſcientia ad nativum ſplendorem poſtliminio redeat, in quo Cæſar Juſtinianus eandem ſervari voluit, & juſſit.

Quòd ſi magna Statutorum Civitatum Italiæ pars (certè non exigua Jurisprudentiæ portio) ſine Interpretibus, ſine Commentariis habetur, iisdémque Judices, & Advocati in cauſis, eadem Statuta concernentibus, rationes occurrentes adducendo, identidem utuntur: quidni idem de Jure Communi, ſeu mavis dicere, de Juſtinianearum Legum Corpore fiat, vel fieri poſſit? Hanc autem meliorem eſſe viam, vel certè expeditiorem, Eminentiſſimus Cardinalis de Luca, celeberrimus Legalis Reipublicæ Magiſter, atque Heros, nos quodammodo docuiſſe videtur, cujus mos, quo ille etiam omni jure gloriabatur, ferebat, plures in diſputationibus rationes, quàm Auctoritates adferre. Quare ùt plurimùm paucos ab eo citatos eſſe Auctores videmus, aliis ejusdem commatis atque profeſſionis ad eandem rem probandam duodenos, aut viginti adducentibus, id

quod

quod Legentibus non fastidium modò creat, verùm plerùmque etiam nonnisi gerræ sunt, cùm Auctor, nullo præmissò examine, Auctorem, dummodò in rem suam loquitur, describat, quin ille, & multò minùs Judex rationem illius opinionis accuratâ mentis trutinâ examinet.

Quamobrem cum Zevallos, qui in Præfatione ad suum *Speculum aureum* in hanc sententiam scribit, denique concludendum esse videtur: *Melius*, Inquit ille, *Respublica sine tot Doctoribus gubernaretur, relictis Legibus, & Canonicis Sanctionibus absque Glossa, & Doctorum interpretationibus, qui rem dubiam faciunt. Atque utinam omnia volumina librorum, quæ in Jure consistunt, deleantur: quod esset omnibus Advocatis, & Juris Professoribus lucro, & quæstui* (quia tam ingenti librorum mole iis haud opus foret) *utile ad salutem* &c.

Hoc insuperhabito haud ita facile aliorum consiliis eò abripi possem, ut tot tantósque Jurisperitorum labores, eósque cumprimis, quorum heredem insignes Viri, ac celeberrima Tribunalia totum orbem fecerunt, Foro penitùs extermina-

rem, ac multò minùs voracibus flammis, vel Sardinis addicerem. Horum ultimi saltem nullo non tempore laudari merebuntur; siquidem tot aliis eorundem Jurisperitorum, quemadmodùm & plurimis aliis aliarum professionum Operibus (haud spernendum eorum esse numerum scias velim) fortassis magno bono foret, si ex illis festivi ignes accenderentur, vel ad Garamantes & Indos pro nostro in eos amore mitterentur, ut castigatioribus moribus, si fieri posset, instituerentur, ac melioribus Legibus temperarentur. Et hoc desiderio, opinor, Budæus quondam ardebat, Lib. 2. de Orig. Jur. dicens: *Utinam prodeat nobis superstitibus Tribonianus alter, qui cornicum oculos Jurisconsultis nostri temporis configat, id est, qui tot voluminum acervos, quos ne Ptolomæi quidem Bibliotheca caperet, certo quodam numero circumscribat.* Id postmodùm Rempublicam tantò magis eò adducet, ut ne contra omnes Legum libros ob rationes quasdam moventes, quæ proferri posse mihi videntur, in furias agatur. Simul ac in allegationibus, & coram Judicibus Auctores citare vetabitur, nemini facilè persuaseris, eapropter nulli licere, in eorum libris piscari. Procuratores, atque Causidici sedulam pro more suo iisdem operam navabunt, in informationibus, ac contra-

tradictoriis, quin carorum suorum Magistrorum nomina proferant, ex Menochio, & Barbosa, vel ex decisione aliqua Curiæ Romanæ, vel Florentinæ fragmentum quoddam producturi. In allegatione eadem doctrina iisdémque verbis Altimari, Peregrini, Mascardi, & Berlichii in lucem prodibit. Ad quid ergò inhibitio Auctores citandi conferet, si eorundem opiniones, ac rationes adferre licet? Secundò innumeri penè casus contigêre, & etiamnum contingunt, quas Papinianus nec prævidit, quibúsve nec providit omni, etsi magno, Legum apparatu. Multum sanè laboris Judices æquè ac Causarum Patroni in se suscipiant oportebit, ut è Digestis, & Codice, vel ingenio suo rationes eruant, quæ ad propositum casum decidendum moveant. At si insignes Jurisperiti casum propositum jam examinârunt; quæ causa est, cur magni nominis Virorum, & excellentium Doctorum libros reprobare, ac eliminare, tantúmque laboris & negotii Causidico illi, atque Judici facessere velimus, qui forsitan eundem nunquam tam acri judício, & exactâ curâ examinare, atque decidere poterunt? Tertiò nec omnes Judices, nec omnes Causarum Patroni sunt litteris probè subacti, ac omni doctrinâ politissimi. Dantur, & eorum non pauci, obesæ frontis,

tis, pinguîs cerebri, & pertenuîs judicii, qui neque Musas ad favorem flectere, nec placare Apollinem sibi queunt. Minimùm his emolumento non mediocri erit, si super illo, quod in casibus singularibus Tribunalia, & Jurisperiti, qui labores suos in lucem emiserunt, dixerunt, vel judicârunt, pro re nata, si quid acciderit, consultare possunt: Contrà hoc subsidio privati ignorabunt, quò confugiant, ut in ancipitis aleæ causis, ac forensibus controversiis lucem inveniant. Quartò (id quod præprimis attendendum videtur) Forô tot tantísque Legalibus Operibus spoliatô, præquàm aliàs in voluntate Judicum verteretur, ad arbitrium, libidinémque suam ferre sententiam, nunc hanc, nunc illam, eoquòd ab eorum intellectu dependeret, hanc rationem præ illa approbare: siquidem hoc ita constituto, illis haud ampliùs jam abolita præcedentium Sapientûm opinio adversaretur; opinio, quæ hodie Judices non in officio duntaxat continere, verùm etiam eorum resolutionibus alas & fundamentum addere solet. Profectò ex quo Eminentissimus Cardinalis de Luca (ut dicam, quod res est) cùm documentis, tum exemplo suo eos tantoperè commendaverat, qui sibi pro viribus à consultandis Libris Legalibus temperârunt, Legibus duntaxat, & ratio-

rationibus usuri, imò rationem ipsam Legi anteposuerunt, prætexentes, nequaquam Litterâ, sed prudentibus Legis, vel Legislatoris rationibus standum esse; experientia nos docuit, Jurisprudentiam hodie magis quàm priscis temporibus in Judicum arbitrio ac voluntate positam esse: Veteres enim plùs Legibus nitebantur. Hoc modo incidimus in Scyllam, dum volumus vitare charybdim, & non ex vano verendum, ut in multis casibus hæc ratio, dum caput supra leges extollit, iis dominetur, atque præponderet; siquidem secundùm *L. non omnium ff. de Leg. & Senat.* de omnibus, quotquot à Majoribus nostris edita sunt, edictis rationem reddere haud valemus; & Jurisperitus rationem adducens, quæ melius decretum exigere videtur, desiderare potest, ut plures opinionem suam, præ illa Legum, ratam esse jubeant. Quòdsi fortè non nemo diceret, eandem confusionem etiam hodie dominari, dum tot Libris instructi sumus, quia varietas, & Antinomia opinionum in causa est, cur Judex pro libidine sua illi, quæ ipsi magis arridet, accedere, & inhærere, id est, in dicenda sententia cupiditates suas explere possit: huic nihil nectentes morarum reponemus, in Libris Legum saltem nonnunquam secura & certa dari consilia, quibus,

bus, ſi Judex Judicium ſuum, diverſis modis de re decernendo, præferret, meherclè pudore ſuffunderetur. At ſublatis è medio omnibus Legum Libris, parùm aberit, quin id in poteſtate Judicum ſit, qui animi commotionibus habenas laxantes, nullo negotio arbitratu ſuo ſententiam ferre poterunt. Quodſi Juſtinianus quoque deſiderio, ſolum Textum Legum ſuarum, ſecundùm quas Judiciorum negotia temperarentur, videndi flagrans, interpretationes prohibuit: amplificationum & extenſionum, quibus illæ Leges obnoxiæ ſunt, probè gnarus: Doctores noſtri reſpondebunt, quòd ille ſequelas hujus inhibitionis apud animum ſuum non bene perpenderit, cùm certiſſimum ſit, Textus illius haud ita claros atque perſpicuos eſſe, ut omne dubium excludant, eáque propter luce quadam indigeant: quid quòd nec omnes ſingulares caſus, qui indies contingunt, & litibus anſam præbent, in ſe contineant. Tot aliæ Leges, quòd in uſu & exercitatione vel inutiles, vel perniciosæ ſunt, aut antiquantur, aut in deſuetudinem abeunt. Id ipſum de hac Juſtiniani inhibitione dicendum cenſeo. Non equidem neſcio, multa adhuc in utramque partem in hoc problemate adferri poſſe; ſed iis haud gravatè ſuperſedeo, dixiſſe contentus, quòd Legales

gales Bibliothecas ſervare deſideranti laudabiles rationes nunquam deſint. Nihilominùs ſiquis conſultum, & utile fore judicaret, ut meliores, iique magis Claſſici Jurisprudentiæ Libri ſeligantur, reliquîs in Tyropolarum tabernis capite damnatîs: næ is, cui hæc provincia foret demandanda, in immenſum penè chaos, ac ingentes perturbationes incideret, quòd eorum numerus, quibus vitæ gratiam facere vellet, longè major futurus eſſet, quàm illorum, quibus aquâ, & igni, ùt ajunt, interdicendum. Ea de cauſa, quod ad me attinet, neceſſitati Reipublicæ ex eo ſolùm, quòd in controverſiis Fori Auctores citari prohibeantur, haud ſatis proviſum eſſe exiſtimo. Verùm ſi hoc medium non confert, quod melius in medium adferemus? Reſponſum capite, quod ſequitur, reddemus.



CAPUT

CAPUT XI.

Jurisprudentia verè corrigi potest, si præcipua puncta in illa controversa deciduntur.

QUandoquidem Lites, Judices, atque Causarum Patronos, dum stabit hujus machina mundi, esse oportet; nec facilè spes aliqua nobis affulget, fore, ut certis quibusdam inevitabilibus Jurisprudentiæ nævis medeatur: Sapientibus saltem Principibus multum operæ in eo ponendum esset, ut iis, quibus possunt, medelam ferant, id est, ut, quoad ejus fieri potest, provideant, quò posthac non modò tam frequentes lites non moveantur, verùm etiam motæ citiùs decidantur, atque immoderata aliorum rebus fortunísque modum arbitrio suo statuendi facultas in Jurisperitis atque Judicibus coërceatur. Majus Jurisprudentiæ malum quemadmodùm

dùm, jam ſuo loco advertimus, ex immenſa contrariarum opinionum, quibus Doctores adſtipulantur, copia naſcitur; quò fit, ut, in quam partem in cauſis forenſibus inclinet Juſtitia, ſtatuere nequeant. Salubrius ad Sananda hæc vulnera medium non occurrit, quàm illud ipſum, quod Principes, qui populum ſuum amore proſequuntur, levi brachio, ſi volunt, præbere poſſunt, id eſt, *ut maturo doctiſſimorum æquè ac ſapientiſſimorum Virorum Conſilio Concluſiones inter Jurisperitos controverſas decidant, id decernentes, quod in ejusmodi occaſionibus eorum Tribunalia, & Judices ſequantur.* Ariſtoteles Lib I. Cap. I. Rhetoric. id advertit, dicens: *Maximè convenit, ut, quæ rectè poſitæ ſunt Leges, cuncta ipſæ explicent, quæ explicari queant, & quàm minima judicibus relinquant.* Et ſanè oportet credere, quòd Judices ſub eam tempeſtatem malè audierint, cùm alio loco, nempe Lib. III. Cap. XVI. de Republ. idem Philoſophorum Princeps dicere non dubitaverit: *Melius eſt, ut Lex dominetur, quàm aliquis civium*; cujus rei hanc reddit rationem: *Quia Leges ſapienter conſtitutæ id comprebendunt, quod tam in judicando, quàm operando juſtum eſt. Qui igitur Legem præeſſe jubent, videntur*

jubere Deum præesse, & Leges: qui autem hominem jubet præesse, adjungit & bestiam; libido quippe talis est, atque obliquos agit etiam viros optimos, qui sunt in potestate, ex quo mens absque appetitu Lex est.

Ex his etiam Angelicus Doctor 1. 2. Quæst. 95. art. 1. perspexit, quàm utiles, quámque necessariæ sint Leges, ut ne Judices in tot tantisque casibus ad arbitrium libidinémque suam judicare possint, non sine magno Justitiæ, populique detrimento. Compertum est, quòd Libri, à Justiniano nascituris relicti, Leges haud facilè in numerum redigendas complectantur: verùm hæ ipsæ Leges, & varii casus, qui contingere assolent, cum summa ingenii perspicacia & intemperantia Jurisperitorum per tot Secula, tam insolenti numerô alias quæstiones, & opiniones Legales inter se discrepantes (fieri enim non potest, ut Legislator omnes casus prævideat, omnibúsque provideat, quemadmodùm Julianus *L. non possunt ff. de Legib.* observavit) produxerunt, ut hodie Jurisprudentia non nisi Lites ferat, atque Justitiam continuò in perturbationem conjiciat, utilitatem illius augendo, qui has lites alteri intendit.

Quid

Quid est causæ, cur Principes in hanc luxuriantem Juris Silvam, quæ Reipublicæ universæ tantoperè fraudi est, falcem mittere tergiversentur, tot Legales controversias decidendo, tot opiniones approbando vel reprobando, prout magis ex æquitate esse, Justitiæque congruere creditur, atque illud decernendo, quod inposterùm Judices sequantur, quin pro arbitrio suo diversam sententiam, quemadmodùm non raro hodie usuvenit, ferre possint? Neque existimetis velim, me solum hoc desiderio teneri: centum enim & plures abiêre anni, quòd Zevallos, Hispanus gente, idem ardenter sitierit, in Præfatione ad suum *Speculum aureum* dicens: *In Litibus, quæ quotidie contingunt, quum nihil sit certi, conniventibus oculis patrimonia consumuntur, & hominum vitæ terminantur: quæ omnia optimè providerentur, si omnes hæ contrariæ opiniones ad certam Legem redigerentur: quod quidem facillimum esset, modò unam, & illicò secundam opinionem sequi, prout amicitia postularet.* Verùm votis omnibus expetendum esset, ut tot Opinionibus remedium adferretur, de quibus Conringius, magnum inter Germaniæ Jurisconsultos nomen, in suo Thesauro Politic. num. LII. gravissimè conquestus est. *Esset* (verba illius optima fide adnumero)

Esset, cur nostro quoque regno novum quemdam optaremus Justinianum, qui utilia addat, inutilia verò resecet, indigestámque Legum nostrarum molem in mensurabile atque utile corpus redigat. Est námque ùt inquit Poëta,

- - - immedicabile vulnus
Ense rescindendum, ne pars sincera trahatur.

Eadem etiam cupido jam ante illum incesserat P. Adamum Contzenium è Societate JESU, qui in Libris Politicorum Lib. V. Cap. XI. in hæc verba scribit: *Nunc magna multitudine Legum, & Litium penè mergitur Germania. Magni æstimo Conditores Legum, Antistites sacræ Themidos. Si verò Imperator, adhibitis Jurisconsultissimis, Principúmque Auctoritate, magnum hoc Chaos in ordinem, & perspicuam brevitatem restitueret, Reipublicæ Servatorem, & Patrem Patriæ appellabo.* Dein cæptam pertexit telam, dicens: *Tot Principum exempla sequi gloriosum est, & Patriæ necessarium, quæ non plùs in lites, quàm in Bella impendit; Et lites non finiendas, sed non continuandas, & partium damno sedandas, aut æternandas, passim dolet.* Quantâ porrò cogitatione idem medium Decianus in Apologia contra Alciatum Capite primo

&

& vicesimo Num. VII. cupiverit, nemo Eruditorum est, qui ignoret.

Ea de causa, ad consilium hoc perficiendum, à Principibus antiqui moris, neque fallaciis septi homines, acri ingenio, & doctrinâ præstantes Jurisprudentiæ Doctores (Purpurati sint, vel publici Doctores, vel Causidici, nihil admodùm refert) tales præprimis constituendi essent, quibus magnæ & vehementes animi commotiones non dominentur, qui verbis adsentari nesciant, veri juxta ac æqui duntaxat amantes, & *justi atque injusti scientiâ* verè expoliti. His omni curâ in id cumprimis incumbendum esse arbitror, ut, non dicam, omnes Conclusiones, & opiniones Legales, à Jurisperitis in controversiam vocatas, in fascem colligant, cùm non solùm multi huic oneri ferendo haud forent, sed etiam unusquisque, & maximè illi variis circumfundendi essent molestiis; verùm ut illas seligant, quibus Tribunalia faciliùs adstipulantur, quæque ut decidantur, Reipublicæ plurimùm interest. Omnes hasce merces in Libris Eminentissimi Cardinalis Tosci, Sabellii, & aliis id genus Summis, ac Repertoriis Cardinalis de Luca Tract. *de Conflictu Legis & Rationis*, aliisque ejusmodi Libris citra laborem reperias. Adhæc An-

tonii Fabri, Jurisprudentiâ, quam sibi magnoperè devinxit, ad miraculum subacti, Opus *de Erroribus Pragmaticorum* ad eruendum aliquod lumen, fructúmque percipiendum consuli posset. Verùm quemadmodùm non modò mentis aciem ad quidlibet penetrandum, suprà quàm credi possit, subtilem & perspicacem Sortitus, sed etiam odio plùs quàm civili Legulejos forenses persecutus est; ita ejusdem opiniones tot Auctoribus, qui in Regno Legali summum imperium tenent, contrarias cautè ac circumspectè amplecti oportet, ùt Josephus Aurelius de Gennaro Advocatus Neapolitanus in elegantissimo suo Libro, cui Titulum præposuit: *Respublica Jurisconsultorum*, sapienter observavit; multò magis autem illius *Codice Fabriano* standum est, ubi cum aliis Jurisprudentiæ Doctoribus consuetudo illi intercedit. Propiùs etiam inspici meretur Opus Hieronymi Borgiæ, cui Titulus: *Investigationum Juris Civilis &c.* ubi in gratiam Forensium Jurisconsultorum plurimæ conjecturæ, atque doctrinæ mox dicti Fabri diligentiùs sunt excussæ & reprobatæ. Facto igitur, quem ante diximus, delectu, unaquæque illarum opinionum in utramque partem accuratâ mentis trutinâ examinanda est; & comperto, adfirmantem, vel negantem Legibus

gibus Justinianeis, vel principiis Juris naturæ, ac Gentium magis convenire, majorémque partem à præcipuis Italiæ Tribunalibus, & præcipuè à suprema Pontificis Curia, Regiisque Senatibus receptam, atque à Sapientibus Tractatuum Compilatoribus firmatam esse; hanc stabilire, & edicto Principis posthac tanquam Legem statuere oportebit, salvis tamen semper omnibus singularibus Statutis, & locorum consuetudinibus. Davus meherclè sit oportet, qui non videat, quot litibus hac ratione in futurum via præcludenda sit, quótque aliæ, quæ in plures annos sæpissimè trahuntur, citiùs componi queant? Nemo certè Eruditorum est, qui ignoret, quàm litium ferax sit Forum ob successiones, Fideicommissa, & substitutiones Agnatos inter & cognatos. Hæc secum perpendens Pontifex Maximus Innocentius XI. gloriosissimæ recordationis, & æquitati magis consentaneum credens, ut bona ac fortunæ, quibus Familiarum splendorem sartum tectum servant, multò magis in propriis Testatorum conserventur, quàm ad exteras transeant, quando de illorum voluntate non satis constat, in Bulla sua anno à reparata salute supra millesimum sexcentesimum octogesimo promulgata, & ab Eminentissimo Cardinale de Luca in Tract. *de*

Statutariis ſucceſſionibus relata, ſtatuit, ut *in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili, favore maſculorum de agnatione in excluſionem feminarum, & cognatorum, hujusmodi Legum, & Statutorum interpretatio inpoſterum fiat.*

Eandem proviſionem Statutariam Reinaldus Mutinæ Dux anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſeptingenteſimo undecimo ſanxit, præfixo eidem titulo: *Decretum de ſucceſſionibus.* Hæc Lex, quæ ſanè laudari meretur, ſi Eccleſiaſtici Statûs, ac Domûs Eſtenſis Judicibus ſemper ob oculos verſetur, non ſolùm ad finiendas exceptiones, interpretationes, & Cauſidicorum cavillationes, ſed etiam ad componendas in Agnatorum gratiam controverſias plurimùm conferet. Idem in aliis plurimis caſibus, à dictorum Juriſconſultorum prudentia, & Principum Auctoritate ſtabiliendis, fiet, è quibus novus Legum Codex colligi poterit: id tamen advertendum venit, ut in breviſſimum, quoad feret facultas, redigantur compendium, & ſubſtantia, intentióque Legum planis atque perſpicuis verbis, adductis nullis rationibus, explicetur: ſiquidem verborum ambages, quibus ad aperiendam Legislatoris mentem utuntur, non rarò ejusmodi ſunt, ut iis falſas argumentatio-

tationes ſuppeditent, qui arti huic in Foro plus æquo aſſuevêre. Cumprimis verò quæſtiones, ſuper quibus plus diſputatum eſt, mentis acumine indagare oportet, in quibus, quemadmodùm nonnulli nobis perſuadere conantur, communis contra communem inveniatur. Haud facilè dictu eſt, quantum priſcis temporibus Judices hîs contrariîs communibûs luſerint; dum enim ſalvâ conſcientiâ & citra ſcelus hanc potiùs quàm illam ſequi poſſe credebant, ampliſſimus illis aperiebatur campus, perſonarum magis acceptarum, id eſt, quæ magis gratiâ apud ipſos valebant, commodis ſerviendi, quod etiam (ùt mea quidem fert opinio) *punctum amici* vocare non dubitabant: ſed de hoc nobis Cap. XIII. ſermo erit. Ea de cauſa antiqui noſtri Jurisperiti (Abbatem Palermitanum, Baldum Beroium, Decium aliósque intelligo) diſcipulis ſuis conſultum ibant, ut animos Judicum blanditiis expugnare, ſibíque conciliare ſtuderent, cùm hæc ars magni quæſtûs, atque compendii eſſet. Antonius Maria Corazius Lib. 2. Cauſarum Patronos, & Procuratores hortabatur, ut ne in allegationibus, & informationibus Suis Judicem ampliſſimis *doctiſſimi*, *excellentiſſimi*, *celebratiſſimi*, *acutiſſimi* &c. titulis exornare obliviſcerentur, cùm hæc dulcis ſymphonia

nia

nia eos incredibili voluptate perfundat; quod ut & veteres Romani Oratores facerent, cumprimis Cicero, Quintilianus, aliique eisdem Auctores fuêre. Verùm nulla me hujus rei subit admiratio; id potiùs miror, quòd Zevallos, id ipsum suadens, deinde sequentia addat verba: *Et cùm Judices possint, quæ unicuique placuerit, eligere opinionem, quid interest argumenta, & fundamenta opinionum adducere, cùm eligendo unam communem opinionem, quia magis probabilis mihi videtur, non possum alterius contrariæ communis opinionis virtutem & potentiam tollere? Et sic semper ex Judicis arbitrio facti quæstio, & resolutio pendet.* Sed de hac falsissima doctrina Cap. XIII. agemus. Interea Lectores observent velim, in quas perturbationes non modò liber communium opinionum, quibus aliæ itidem communes adversantur, usus ac aditus ad Tribunalia Justitiam conjecerit: & adhuc conjicere possit; sed etiam quòd nonnulli docuerint, decisiones Causarum in tot tantisque casibus ex Judicum arbitrio pendere, ipsisque religioni minimè ducendum esse, si illam communem seligant, quæ ipsis ad aliorum gratiam conciliandam facit. Considerandum quoque esset, an Principes Justitiam civilem in tam pernicioso errore longiùs versari patiantur.

Mihi

Mihi equidem minimè latet, quòd lites ac controverſiæ, quæ ob teſtamentarias tabulas paſſim moveri ſolent, plerumque Legibus componi nequeant, ſed id à conjectura duntaxat, & æſtimatione voluntatis Teſtatorum dependeat; eaque propter fieri haud poſſe videtur, ut regulas ingenio comminiſcamur, quæ aliis atque aliis, iisque penè innumeris caſibus ſerviant: nihilo tamen minùs cùm hæc fœcundiſſima Litigiorum ſoleat eſſe fodina, Princeps pro ſua ſapientia operam, ſtudiúmqne omne in eo ponere debet, ut Juſtitiæ pro viribus ſuppetias ferat, forúmque emendet. Hìc metaphyſica ſubtilitas, ſuperſtitio, atque Juriſconſultorum ineptiæ triumphum agunt: hìc haud obſcurè apparet, quouſque ars, Judices circumveniendi, atque res fortunáſque ad ſe rapiendi, ubi fortaſſis Teſtatores ne quidem ſomniârunt, ſeſe extendat. Et ſanè vereri minùs debeo, ne quis jure mihi ſuccenſeat, ſi hiſce uſus fuero verbis, poſtquàm celeberrimus Cardinalis de Luca eadem ſæpenumerò uſurpare nequaquam conſcientiæ habuit, Lib. X. Cap. XIX. Doct. Vulg. in hæc verba ſcribens: *Hoc experientia indies docet, quòd Teſtatores id, quod nunquam voluerunt, nec ſomniârunt, & non raró etiam contrarium, dicere cogantur: quin imò ſæpiùs alio atque alio*

alio modo locuti fuisse perhibentur, ut si quis eorum ad vitam revocaretur, ex quæsitorum usu tormentis subjiciendus esset, ut *de illius verbis constaret.* Varii itaque casus, qui usu magis vigent, animo concipi possent, decidendo dein, quando substitutio pupillaris tacita, reciproca, vulgaris, obliqua, atque aliæ, quas sagacis ingenii Jurisperiti distinguere, & subdistinguere solent, sint admittendæ: quando fideicommissum sit perpetuum, vel limitatum, & alia id genus puncta. Est, qui credat, Principem quadraginta Testamentorum (veriùs dicam) substitutionum formulas præscribere posse, secundùm quas quilibet supremam voluntatem suam exprimere teneretur; id quod omnes lites tolleret: verùm cùm haud sciam, an ejusmodi constitutio, si momento suo ponderaretur, optatum exitum consecutura esset; hinc aliis, majore ac longiore rerum experientiâ in Foro claris, id examinandum relinquo.

Jam insigne hoc beneficium, quo nimis intricata Jurisprudentia multîs tricîs eximeretur, gravissimæque necessitati Reipublicæ provideretur, mihi quasi suspicionem parit, posse nonnullos Consiliarios, atque Proceres dari, quibus id minimè placeret, ratis, judicia sua minus emolumenti

menti adlatura esse; eáque propter magis compendiis suis, quàm Reipublicæ commodis studentes, ejusdem executionem vel dissuasuros, vel impedituros esse. Verùm hæc talium proprii commodi studiosorum Virorum consilia sapientissimis Principibus haudquaquam remoram facient: quippe vel interrogâsse eos sufficiet, an Justinianus Legibus suis, quas tulit æquissimas, sibi ipsi nullo unquam ævo intermorituram nominis famam conciliaverit; Respublica verò fructum consecuta sit amplissimum? Nemo unus id diffiteri poterit, qui se augusto Doctiorum Virorum albo adscriptum gloriatur; ac proinde etiam concedat oportet, id ævi Principem, si Justiniani vestigia premat, sibi ipsi alterum tantum promittere debere. Unius deinde Principis, id in Ditionibus suis strenuè exsequentis, exemplum alios quoque movere posset, ut subditos suos hac salutari medicinâ privare nollent. Fieri adhæc fortassis etiam posset, ut Codex ab uno eorum bene compositus, ab aliis non modò examinandus, sed & recipiendus esset. Verùm fingamus animo, nullum eorum in tam glorioso opere desudare velle, vel quòd bonum publicum pensi non habeat, vel quòd immensa moles eum à proposito suo avertat: avarissimis meherclè votis exoptandum esset, ut minimùm

mùm inſignis, & promta fide Juriſconſultus noſtræ ætatis, apud quem Reipublicæ amor idem poſſet, quod privatæ rationes, Opus hoc heroico animo aggrederetur, Codicem, quem diximus, componeret, atque compoſitum publici juris faceret, veritatis ſolùm ac Juſtitiæ ſtudioſus. Quamquàm hoc Opus, ſi modò à celebri Magiſtro ſummâ animi contentione, omníque ſtudio elaboratum, præter ſpem à Tribunalibus, ac Prytaneis non eſſet recipiendum; nihilominùs ſemper Legum Liber foret, digniſſimus, quem omnes ſuſpiciant. Verùm enimvero nullus dubito, quin ille etiam pluris æſtimandus eſſet, ſi Principibus oblatum, ſapientiſſimi Proceres ad mentis trutinam revocarent, cognitum, an ea Auctoritate dignus ſit, quam eidem privata perſona impertiri nequit. Fieri poſſet, ut hi Proceres in illo concluſiones quaſdam invenirent, quæ vel eorum Regioni non convenirent, vel ſubacto illorum ingenio, atque delicato guſtui minùs arriderent; quod denique ſolum opponi poſſet. In hoc rerum ſtatu Princeps, cui ſtat mente fixum, id beneficii in populum ſuum conferre, doctiſſimis quibusque, ac prudentiſſimis Juriſconſultis hanc provinciam mandare debet, ut opiniones & concluſiones à Proceribus ſuis in dubium vocatas,

quem-


quemadmodùm magis ex æquitate esse videbitur, communibus suffragiis stabiliant: hac correctione adhibitâ dictum Codicem confirmare, confirmatum in Ditionibus suis publicare, & ad ejusdem observationem Subditos suos obstringere poterit: siquidem quilibet Status potestate pollet, illud Legum Corpus condendi, quod & systemati & Consuetudinibus suis aptius esse judicaverit.

Erit fortasse, qui dicat, nos in vasto illo Justiniani Corpore Legibus affatim instructos, alio novóque Corpore ad illas augendas haud indigere. Verùm emunctæ naris Princeps nil cunctatus reponet: Si times, ne tua negotiatio fallat, modum nimis intricatæ scientiæ constituendo, eoquòd fortassis litigantium turba imminuenda foret; Ego, quod mearum est partium, Publico, cujus necessitas magis animum meum urere, atque ferire debet, quàm conservatio quæstûs tui, pro viribus prodesse, opémque ferre desidero. Neminem lectio paucorum Librorum Legum, sed immensa Legalium Librorum farrago, quibus causarum Patroni plerumque instructi sæpiùs lites excudunt, quàm componunt, absterreat. Cæterùm siquis etiam dicat, quòd, quemadmodùm conditis Justiniani

Legi-

Legibus plurimæ quæstiones, ac opiniones natæ sunt, ita idem quoque novis Legibus statuendis futurum sit, respondemus, hac ratione magnam antiquarum quæstionum & opinionum partem tollendam, atque extirpandam esse, aliásque successu temporis producendas ab aliis Principibus simili quoque ferro resecari posse. Quid multa? Omnibus diffido, quotquot justam reddere rationem nequeunt, adlatum à me medium, quo laboranti Jurisprudentiæ succurratur, dissuadendi, nisi melius faciliúsque proferant; quo facto primus ambobus lacertis in eorum amplexus ruam, immortales eisdem Publici nomine non solùm gratias acturus; sedet, siquidem virium mearum esset, ad perpetuam tanti beneficii memoriam, gratíque animi tesseram eorum honoribus è pario marmore Statuam excitaturus. Interea superi faxint, ut saltem medium à me propositum exsequatur. Monitum autem Lectorem volo, me id in præsens proponendo nullatenus novum procudere. Præcesserê dudum Joannes Bodinus, Hieronymus Zevallos, Franciscus Hotomannus, Chokier, Kestnerus, Leibnitzius, aliíque plures, qui ad unum omnes desiderio ardebant, Rempublicam magna ex parte à malo liberandi, quod multis nocet, quod omnes

omnes malè habet, & tamen nemini id levare atque imminuere (penitùs enim tolli nequit) in mentem unquam venit.



CAPUT XII.

De Adiaphoria in Judicibus Requiſita.

OMnium, qui prima rationis principia vel ſuſpenſo, quod ajunt, veſtigio in memoriam revocârunt, neminem propè unum invenias, qui neſciat, Judicem, delatâ ad ipſum causâ, non modò ab omni prorsùs deſiderio, amore & odio, timore ac ſpe ſpoliatum eſſe, ſed etiam in neutram partem inclinare debere, niſi unius partis rationes, quas fortiores eſſe credit, ipſum convincant, & ad ferendam, in gratiam alterius, ſententiam quodammodò cogant. Hoc, inquam, nemo eſt, qui ignoret: verùm videas non paucos, qui neſciant, executionem hujus neceſſariæ regulæ non adeò in promtu eſſe,

& theoricam non raró ab uſu, ſeu *praxi*, ùt plurimùm differre, idque eo maximè nomine, quòd Judices dolos, quos nobis Interni atque occulti animi noſtri motus machinantur, vel non ſciant, vel ſuſque deque habeant. Hi ipſi motus, qui in tot occaſionibus, dum nempe vel aliorum negotia gerimus, vel pactiones conflamus, vel proximi famam lædimus, aut juſtis ejusdem commodis obſumus, nobis prævaricationes noſtras tantoperè celant, tam nefariè ac ſubdolè cor Judicum movere poſſunt, & ſolent, ut, dum principio planè medio ſeu indifferenti ſeſe inhærere exiſtimant, vix delatâ ad Tribunal ſuum causâ, mox in unam magis partem inclinari ſe ſentiant. Hìc nequaquam de Judicibus loquor, qui nullius conſcientiæ, ac religionis, conſilium à fortuna ſumunt, ac ad vota promittentium vel offerentium plures nummos Juſtitiam venalem habent, muneribus patentes. Judices intelligo, timentes Deum; Judices, qui munera reſpuentes, etiam tum ex æquitate ſententiam ſeſe dicere arbitrantur, cùm neſcio quo fato, injuſtam ferunt. Nos haud aſſuevimus, ſtatum amoris noſtri proprii perſpicaci oculo examinare, nec acri cenſurâ variarum animi noſtri commotionum fibras penetrare novimus. Verùm ſi id unquam è re eſſe

cenſe-

censemus, certè tunc est, cùm homo de Fortunis, vel honore ac fama, vel alterius denique vita judicandi provinciam in se suscipit. Fortunas quod attinet, illæ tunc Judicis potestati ac fidei concreduntur, qui earum veluti Dominus fit, dum utraque pars exspectatione suspensa hæret, cuinam earum possessio secundùm tabulas danda sit. Magna sanè confusio, nec minor injuria & Reipublicæ, & privatis personis inferatur oportet, si Judex secundùm illam judicet, cui facultates, quas diximus, non competunt, tametsi conscientia illum absolvat, sibique imaginetur, se illas legitimo Domino, cui debentur, adjudicare.

Jam certum habeo, atque indubitatum, Judicem integrum haud dari, qui pro Tribunali sedens sententiam ferat, quam non credat, fortioribus rationibus niti, ut palmam uni litigantium deferre queat. Verùm hoc neutiquam sufficit: priùs enim quàm rationum momenta examinantur, cor excutiendum est, an non occultus, meliores ac fortiores rationes, quæ uni magis faveant quàm alteri, desiderandi, & excogitandi impulsus in eo sepultus jaceat. Et Superi boni! quantus earum numerus esse potest! dúmque ibi sunt, difficile dictu, quantum, si impulsus ille non evellatur,

hominem permovere conetur, ut in gratiam unius litigantium judicet. Tum paullatim, & ex improviso causas partis illius, quam majore benevolentiâ prosequitur, in judicio agere ingreditur, cui Judicis munere fungendum est. Tum etiam infirmæ, & nullius roboris rationes intellectui, quem malè cognita animi commotio excæcat, fortes videntur: quin totus in eo est, ut alias rationes, alia argumenta excogitet, quibus permotus sufficienti fundamento secundùm illam partem decernere possit. Et denique magna etiam animi tranquillitate decernit; quia, si dictas rationes excipias, ad ita pronuntiandum nihil internè movet. Desudet tantùm omnis docti Causidici industria, quemadmodùm fundatam, & ab juris auxiliis egregiè instructam scripturam in Clientis sui gratiam proferat: sententia jam lata, suóque Clienti causâ cadendum erat.

Verumenimverò quinam animi motus dignam summâ veneratione canitiem Judicum fascinant? Hos ad quatuor oportunè reduci posse arbitror, *Amorem* nempe, *Odium*, *Spem*, atque *Timorem*. Per *Amorem & odium* id intelligo, quod personas respicit. Si unus ex duobus litigantibus apud Judicem parùm gratiâ valet, & multò magis

magis ſi vel directè, vel ob Parentes, vel aliam cauſam illi occulto odio eſt; huic malum ſanè nuncium fero: quamquàm enim illius cauſa bona ſit, judicio tamen iniquo haud dubiè jugulabitur. Contrà qui apud illum in numero eſt, magnâ perfundatur lætitiâ: ſiquidem fortuna negotiis aſpirabit, causáque jam melior erit, quàm ut eâ cadere poſſit. Præter Procuratorem & Advocatum, qui in conſpectum veniunt, erit, qui, licèt oculos noſtros fugiat, in ipſius tamen gratiam ſemper in corde Judicis peroret. Nec dicas, Judicem antiquâ virtute & fide virum eſſe, qui omnes animi motus extirpare queat. Id quippe fieri poſſe, & nonnunquam etiam fieri, nullus diffiteor. Ciceronem audiamus, nobis haud obſcurè declarantem, quid vel ipſi Ethnici, execrandis ſuperſtitionum tenebris oppreſſi, de Officio Judicum ſenſerint. *Neque* (ſunt verba Tullii Lib. III. de Officiis) *contra Rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici ſui causâ Vir bonus faciet. Nec ſi Judex quidem erit de ipſo amico; ponit enim perſonam amici, quum induit Judicis. Quum jurato dicenda ſententia ſit* (Romani Judices omni adſeveratione adfirmabant, ſe ex æquitate ſecundùm propriam conſcientiam eſſe judicaturos, nullámque cauſam, quoad ſciant, iniquam oraturos,) *meminerit Deum ſe ad-*

bibere testem. Hunc Romanorum morem, qui plurimum laudis habet, Lector memori mente reponat. Haud, inquam, diffiteor, dari Judices sui ipsorum adeò compotes, ut omnem amicitiæ rationem ad argumentorum duntaxat momenta attendendo, subigere atque exuere possint, partium minimè studiosi: verùm nemo etiam inficias iverit, paucorum esse hanc artem, sempérque subesse periculum, ne Judex, quin etiam animadvertat, amico præ altero, quicum illi nulla intercedit necessitudo, faveat: intellectus enim naturaliter affectum sequitur. Nec sufficit, ut multis persuadeant, se ab omni penitùs partium studio fuisse exemtos, dicere: Deus ob oculos meos versatus est: Deus, apud quem nullum Personarum discrimen: DEUS, qui nullius vultum intuetur, dum Judicis munere fungitur: siquidem Deus pro sua infinita Sapientia id facere potest: non omnes autem mortales, utpote creaturæ nimis imperfectæ, id genus adiaphoriam, ubi vel de ope ferenda, vel damno inferendo personæ nobis amatæ in comparatione alterius, nullo nobis amicitiæ vinculo colligatæ, agitur, sibi promittere possunt. Illi etiam, qui pessimo fato in hoc falluntur, non habent, cujus se coram conscientiæ arbitro accusent, cùm persuasum ipsis sit, se ex æquo citra scelus dixisse

dixisse sententiam, quin intelligant, quantum interna amicitiæ commendatio vires suas in illam exercuerit.

Spem quod attinet, nihil aliud intelligo, quàm siquis proprium commodum (per me lucellum, vel obsequium dicas) ab eo speret, qui variis, iisque in terrarum orbe notissimis rationibus succurrere possit, & cumprimis, ubi de Potentibus, Divitibus, ac primæ dignitatis Viris, vel Principum Proceribus res est. Grandis meherclè tentatio (pace vestrâ dixerim) in Judice excitatur, ejúsque mentem ac sensum titillat, de tali bene mereri, qui in me etiam beneficia conferre potest. Quapropter ingenium probé acuere oportet, ut, quoad feret facultas, modos excogitemus, favorabilî sententiâ gratiam ab eo merendi. Nec de illis hic nobis sermo est, qui, munus Judicis capessentes, eum haud ægrè ferunt, qui gratificationes, atque officia præstat, omnibus fortasse remis velísque contendens, ut illa subitò manibus quoque palpari queant; quamquàm nonnullos videas, qui majorem promissis vim inesse credant, quàm donis, eo maximè nomine, quòd, qui donum accepit, donantem ludere, ac risui habere, quin animo ponderet, quòd etiam promittens verborum fidem fallere possit. Hos

meliori Jure Justitiæ sicarios, quàm inaugurátos Christo Judices dicendos esse arbitror. Antiquæ Leges, ac Civitatum Statuta graves in eos pœnas constituerunt, qui exactâ nondum causâ munera vel acciperent, vel paciscerentur: siquidem ejus commatis Judices Justitiam minimè administrant, sed, ùt omnibus exploratum est, turpiter vendunt, quod maximam famæ maculam inurit. Quòdsi nonnulli Jurisperitorum, ac Theologorum Judicibus, munera ad vescendum apta, aliásque res levioris momenti, à litigantibus recipere posse concedant, consultiùs fore existimo, si etiam hoc prohiberetur. Profectò cautioris virtutis ac spectati candoris Judices neque levia admittunt, probè gnari, minimum granum ejusmodi esse, quod staterram flectat ad aurum. Idcircò DEUS, æquissimus rerum omnium arbiter, per os Isaiæ Prophetæ Cap. tertio & tricesimo hortatur nos, dicens: *Justum debere excutere manus suas ab omni munere*. Cùm itaque illi incorrupti, nec corrumpi faciles, & esse, & semper ab omnibus existimari velint; sportulis suis, vel salario (latiniùs stipendium dixeris) contentos esse oportet: hoc enim pacto illis provincia juris dicundi demandata fuit: siquid porrò ampliùs præter hæc post Decretum acceperis, quod nec

nec speraveris, nec petieris, æquitati officere non videtur. Interea hæc de illo dixisse velim, qui utilitatem, benevolentiam, vel commodum post sententiam ab eo sperat, è cujus voto eadem dicta est. Nutans causa mox melior erit, si eidem pretium, addito aureo pondere, adferentes, Arbitros nummis sibi conciliaverint, studiúmque Judicis larga manu solverint. An non hæc indies fieri videtis? In sui gratiam judicare censetur, qui in Amici gratiam jus dicit. Emto ac compendiis suis dedito Judici commoda sua sententiam dictant.

De *Timore* idem, & fortassis etiam plura dicenda veniunt; de timore, inquam, Principi, Potenti, vel personæ, à qua non pauca in nos profecta sunt beneficia, fastidium adferendi Viro illustri genere sato, aut Academiæ titulos, & honores adepto, si litem movet, persuasissimum est, se æquam habere causam, quin, ùt mos fert, credit etiam, eandem meliorem esse, quàm ut eâ cadere possit. Si deinde Decretum opinioni ac spei suæ contrarium emanaret, certè rudi ac amuso Judici, vel maligno, aut occultè infenso nunquam veniam daturus esset. Eapropter Judex pro sua prudentia, prævisam tempestatem evitaturus, consultiùs esse censebit, in Libris piscari, ut hu-

jus periculosi Adversarii cupiditates expleat; dúmque illius causam sollicitè dirimet, tot alias lites, quæ breviter absolvendæ essent, in plures annos trahi, atque senescere patietur. Agedum quam ob rem in sacris Litteris causæ Pupillorum, Viduarum, ac Pauperum tantoperè commendantur? Certè non ob aliam, quàm quòd prisca etiam Secula horum miserorum causas susque deque haberent, vel sententiæ, debilibus neglectísque litigantibus contrariæ, dicerentur; siquidem judicia in comparatione aliorum Potentiorum exercebant, à quibus vel damnum metuebant, vel commodum sperabant. Factu igitur optimum foret, si Principes Judicum actionibus sedulò invigilarent, ídque cumprimis, quando Divites atque Potentes cum profligatæ fortunæ hominibus judicio contendunt. Carolus Magnus, subacti ingenii Imperator, quem res secundæ, salúsque Populorum suorum valdè sollicitum habebant, ipse Potentûm causas cognoscere, atque examinare voluit, veritus, ut ne Proceres sui prævaricarentur.

Ad *Commendationes* veniamus, quibus nostrâ etiam memoriâ semper ad Tribunalia liber aditus patet. Quotiescunque de Justitia *Vindicante*, sive ad nocentes aut scelera-

ſceleratos excuſandos, ſive abſolvendos, ſive de mitigahda eorum pœna agitur, commendationes, quas diximus, permitti, atque tolerari poterunt. Spiritus chriſtianæ charitatis in hoc privilegiis gaudet in caſibus, qui componi queunt, conſideratâ mortalium fragilitate, ac infirmitate. Nihilominùs ſummè circumſpectum eſſe oportet, ubi Juſtitia in nonnullos ſceleratos, ac maleficos pænis animadvertit, è quorum impunitate alia damna atque injuriæ in Rempublicam redundaturæ eſſent. Verùm quod ad Juſtitiam *Diſtribuentem* ac *commutantem* attinet, paucîs abſolvam: Commendationes ſunt iniquitates. Plerumque fieri amat, ut, qui alterum commendat, eorum haud recordetur, quæ agit. Sed ſciat velim, ſe omnibus precibus à Judice contendere, ut iniquam pronuntiet ſententiam. O! dicet non nemo: ego tantùm, quod juſtum & æquum eſt, peto. At ſi aliud haud petis, ut quid cauſam illam totâ virium contentione commendas? Næ tu Judicem offendis, qui times, vel ſuſpicaris, eum vel capacem, vel omninò ad ferendam iniquam ſententiam jamjam paratum eſſe. Si verò eundem Virum integrum æquè ac injuſtitiæ committendæ incapacem eſſe exiſtimas, quò illa commendatio ſpectare, ac tendere poteſt, niſi ut Judicem ad judicandum

dum ex ſententia & voto tuo moveat, dūm eidem ſcientia, ac conſcientia ſua etiam contrarium ſuggereret? Igitur hoc ita ſemper conſtitutô, quòd coram integris ac religioſis Judicibus jure experiamur, nullius honeſtæ perſonæ eſt, in litigantium negotia involáre, atque pro eisdem intercedere. Cauſidicis autem, & Procuratoribus incumbit, ſolidas rationes adferendo cauſas commendare, ita, ut, qui de iisdem ſtatuere debet, earum robur quaſi manibus palpare queat. Cuilibet equidem cauſas ſuas commendare, ut moras Juſtitiæ abrumpant; minimè verò Judicum favorem in alterius gratiam implorare licet. Quis veſtrûm eſt, qui non pudore deterreretur ad Judicem liberè ac ſine fuco dicere: quæſo! ſecùndùm hanc partem judica, vel contra illam decerne? Verùm id ipſum facere cenſetur, qui Judicem rogat, ut cauſam hujus ſervi, vel parentis, vel amici ſui commendatam ſibi habeat.

Verùm ſi honeſtum liberalitérque educatum hominem dedecet, cauſis ordinariæ cognitionis eo ſeſe conſilio ingerere, ut pars litigantium per commendationem vincat, ſine comparatione magis Judicem dedeceret, ejusdem rationem habere. Certè ſi unquam contingeret, ut unus eorum,

ex

ex quo ipſum deſideria cujusdam Potentis, aut Purpurati in gratiam unius litigantium adverterunt, animo ſecum volveret, qua ratione tanti viri votis gratificari poſſet, virus jam hauſit, quod etiam vires ſuas exſerere incipit. Nec cauſetur quisquam, ſe eò haud progreſſurum eſſe, dum conſcientiæ ſtimulis agitabitur, ejusdémque acerbas audiet querelas: ſi enim Judici in votis eſt, ut alter Adverſariorum præ altero vincat, continuò illi rationes videbuntur meliores atque fortiores, & hoc pacto etiam conſcientiæ furias mitigabit. Et tantò magis ei timendum erit, quò altiorem dignitatis gradum aſcenderunt, qui aliorum cauſas commendant. Sanè fortunæ debet, qui illorum voluntati morem gerere poteſt; è contrario eisdem non obſequi, res eſt difficilis aleæ plena. Omnem penè excedit fidem, dari hiſce temporibus, quæ multis priorum ſeculorum longè moderatiora ac meliora jure exiſtimaveris, Principem Chriſtianorum ſacris imbutum, qui Judicibus ſuis mentem ſuam ſuper unius victoria, vel alterius jactura clarè aperiat. Fieri nihilominùs poſſet, ut Princeps, vir cætera integer, inconſultè ac temerè majorem voluptatem, qua ob unam partium caperetur, vel odium ac indignationem, qua in alteram fertur, celando non eſſet. Id mehercle ſuffice-

ſufficeret, ut Judices, qui vel nullius ſunt animi, vel utilitatem aucupantur, fortunámque procantur, voluntatem, intellectúmque ſuum eò inclinent, quò Principem ſuum propendere vident. Dici vix poteſt, quàm proclive ſit, judicium noſtrum flectere, ubi animus vel minimo, ne dicam, vehementiore motu in judicando occupatus eſt. Magna litium pars quaſi ad punctum indiviſibile reducitur. Ex utraque parte bonæ ac ſolidæ rationes in lucem proferuntur. Judici ſtatuendum, atque decernendum eſt. Minimo minùs abeſt, ut ille à vero abducatur, & in unam, alterámve partem inclinet. Ad ſtatuendum porrò decernendúmque, illum occulta, quam diximus, animi commotio, commendatio, vel conſilium amoris proprii, cunctis actionibus noſtris plus æquo dominantis, excitare poteſt. *Adiaphoria* igitur, *adiaphoria*, inquam, in Judicibus requiritur. Et ut hac præditi ſint, omnes, quotquot Timore Dei, ac veri honoris opinione inſtructi forum agunt, omni ſtudio adlaborant, ſolertíque curâ ſeipſos excutiunt. Commendationes, ſiquæ ab aliis offeruntur, ſcitè declinare nôrunt, non raró etiam, quæ officii ac muneris ſui ſunt, iis palam facientes, qui mentem ad cogitationem illorum non tranſtulêre. Sacrarum cognitionum Judicibus (*Auditores*

Rota

Rotæ Romanæ vulgò vocant) magnæ vel ex eo etiam Auctoritatis Viris, quòd partium immunes esse credantur, mos est, laudari dignus summoperè, nullum commendatitiis litteris, tametsi Principum, aut etiam Regum, & Cæsarum manu exaratis, reddere responsum. Nec integerrimi hi Viri aliis displicere, vel gratiam aliorum lædere timent. Hanc ob causam qui nullius animi est, dicundi mortalibus juris provinciam in se nullo pacto suscipiat. Verùm cùm id genus rationes, atque adjuncta intervenire possint, ut Judex simul ac ab amico, vel inimico, à Potente, vel Cliente ad ipsum causa defertur, magnas in angustias conjiciatur, exigua libertate gaudeat, vel tentationibus infestetur gravissimis, prudentia vias magis proprias sese excusandi, judicioque subtrahendi excogitare debet. Non latuit ipsos etiam Legislatores, quàm ardua & difficilis res sit, Judices invenire, paulò antè memoratâ præditos adiaphoriâ, ubi unam litigantium partem odio, alteram contrà amore prosequuntur, vel alia ejusmodi adjuncta militant, ita, ut litigantes ipsorum judicii integritati meritò diffidere possint, concedendo, ut ejus notæ personas diffidentes declarent. Verùm hæc licentia argumentis duntaxat notis, ac publicis, & quæ, si rei fert ingenium, probari

probari possunt reservata est. Pestis est, quòd tot aliæ occultæ commotiones ejus virtutis sint, ut animum illius inficere queant, quem super fortunis, ac juribus populi judicare oportet; atque hæ vel prævideri & discerni, vel certè probari nequeunt, nec, quod ex eo consequitur, diffidens vocari potest, qui illas in corde suo absconderit. Tunc Deus tibi bene vertat: nam & Justitia, & fortunæ in aperto discrimine versantur.

Vidimus suprà, Judices sub veterum etiam Romanorum ætatem non solùm fidem suam sacramento adstrinxisse, se nullo non tempore sententiam dictutos, quam ex æquitate magis esse crederent; sed etiam obligatos fuisse, ut in memoriam revocarent, *se Deum adhibere testem*. Multò magis id Judices Christiani contestando adfirmant, qui in verum Deum credentes minimè ignorant, quanto verborum pondere is omnes mortales, & cumprimis eos, qui controversias disceptant, hortetur, inquiens: *justum judicium judicate*. Verùm neutiquam sufficit, si dixeris: Ego secundùm conscientiam meam, & in præsentia Dei, cor meum intuentis, atque renes scrutantis, judico; persuasissimúmque mihi est, causam hujus meliorem esse, quàm illius:

Ut

Ut enim conſcientia tranquilla ſit, oportet primò conſiderare, an nulla mox dictarum animi commotionum priùs Judicem animârit, ut alterius partibus ſit iniquior, alterius contrà æquior? ſi nullam animi inclinationem, ac propenſionem ſentit, ut ſecundùm hanc potiùs partem judicet, quàm alteram; ſi nec nobilem illum, vel divitem tantoperé liberalem offendere timet; paucis: ſi nullis prorſùs privatis rationibus ducitur, ſed æqualiter diſpoſitus eſt ad pronuntiandum ſecundùm hanc vel illam litigantium partem, idque præmiſſo ſincero examine, maximè ubi Crœſus cum Jro, dives cum tenuioris fortunæ homine, cum debiliore Potentior, jure experitur. Si ita verè comparatus ſit, muneris deinde ſui eſt, ut utriusque partis rationes, & jura, Leges, ac citatos Auctores, ad excerpenda, inveniendáque argumenta, quæ ipſum moveant, ut hanc præ illa ferat ſententiam, omni ſtudio, ac diligentiâ ponderet. Sed hac de re alio loco plura dicentur. Poſt igitur quàm Judex eâ, qua par eſt, ratione duplici huic officio ſatisfecit, tranquillâ & ſalvâ conſcientiâ ad ferendam ſententiam progredi poterit. Verùm pace veſtrâ quærere hìc mihi liceat: An id hodie omnes Judices, & etiam ſemper, agunt? Mi-

O rabar

rabar olim, fuiſſe Judicem, qui, latâ à ſe ſententiâ, quam plurimi iniquam eſſe crediderunt, diceret, cauſam illam tam impeditam, & ob utriusque partis rationes tam ancipitem fuiſſe, ut Judex, ſecundùm quam vellet, decernere poſſet. Judex ecaſtor eruditionis expers, quódque peius, inſigniter improbus. Si cauſa etiam ejusmodi ipſi viſa fuiſſet, pactionem proponere, minimè verò ſententiam dicere debuiſſet. Agedùm quando Judex alterius res, fortunáſque poteſtati ſuæ ita ſubdidit, ut eas ad arbitrium libidinémque donare poſſit, qui ipſi magis in amoribus eſt? Oportebat illum, ſi decernere vellet, cauſam quàm accuratiſſimè examinare, ut conſtaret, ex qua parte rationum momenta præponderarent: ſecùs ſi facit, atque ita indifferens, uni litigantium favet, non eſt locus dubio, quin alteri injuriam inferat, eúmque iniquô judicio jugulet. Verùm hæc Capiti ſequenti ſervantur. Quemadmodùm ferendum non eſt, ut Judex, qui, quantùm quidem judicio aſſequi ſuo poteſt, credit, Titium meliorem habere cauſam, ſuámque ei ſententiam rogatum venit, videns, plerosque omnes in gratiam Sempronii decidiſſe, etiam ipſe illorum ſententiæ in judicio accedat, excuſationem prætexendo, cauſam ob priora aliorum ſuffragia

jam

jam esse compositam, nec Titio quidquam ampliùs profuturum, si ab illius partibus staret. Quo pacto ille, qui fidem suam sacramenti religione obstrinxerat, se secundùm conscientiam suam judicaturum esse, promissis suis stat, si contra id, quod ipsi magis ex æquitate esse videbatur, pronuntiat? Ad hæc multùm confert, ut non nesciamus, an omnes Collegæ, seu Conjudices, vel tantùm pars eorum illam sententiam tulerint; idque eò magis si plures leviter tincti, quemadmodùm nonnunquam fieri amat, contradicentibûs facilè doctissimis quibusque, causam decidissent.

Nec tacitus ullo modo præterire possum, quòd, cùm hominum ingenia, nisi multâ operâ atque labore, medium invenire nequeant, in quo virtus, veritas, & justitia consistit, tametsi nonnulli persuasum sibi habeant, id in eo versari, ut indifferens sit, ubi non nemo Potentior, vel amicus consistendæ litis causâ ad ipsum venerit, conscientiæ stimuli atque furiæ secundùm talem pronuntiaturo, tantum terrorem incutere possent, ut ad excogitandas solummodò rationes animum appelleret, quibus permotus in illius Adversarii gratiam litem decidat. Quis est, qui id oculis non usurpet? Verùm hoc modo in scyllam quo-

que incideret, vitaturus charybdin, dum enim alterius amicitiæ vinculis ſe expediret, alterius neceſſitudinis fœdere ſeſe devinctum animadverteret. Sub eam tempeſtatem, qua penes Conſules Imperii faſces in Italia erant, ſapientiſſimi quique Majorum noſtrorum Juſtitiæ nævos atque errores, non rarò ex eo maximè provenientes, quòd Judices haud indifferentes ſint, quin id eos advertat (Juſtitiam enim apertè palámque vendere, forſitan paucorum eſt) ponderantes, more patrio exteros in Judices deligebant, eo potiſſimùm nomine, ut nec parentes, nec amici judiciorum religionem ac ſeveritatem vel precibus, vel opibus ſuis depravarent, atque impedirent; quid quòd nec conviviis adeſſe, nec amicitiam cum aliquo conciliare iis liceret. Quamquàm hoc medium, quod etiamnum in quibusdam civitatibus obtinet, plurimum laudis habeat, minimè id tamen ſufficere arbitror. E re præterea foret, ut Judices ſuperbo includerentur palatio, propter quod ad curarum laborúmque ſolatium amænus, mænibus tamen cinctus, quæ & litteras, & nuntia accipere prohiberent, hortus eſſet viſendus. Nomina porrò, quorum cauſæ ad eorum Tribunal deferuntur, ficta eſſe, Patronorúmque rationes & oppoſitiones in Aula quadam poſt velum audire

audire oporteret. Si dein hoc modo, qui res judicant, in Judiciis ſuis fallerentur, id eorum ignorantiæ, vel aliis erroribus, minimè autem partium ſtudio adſcribendum eſſet. Verùm hæc media ſunt vana, quæque fieri nequeunt. Adhæc ad formandum rectum illius, qui Judicis munere fungitur, judicium ſæpè ſæpiùs notitia perſonarum, earum affectiones, neceſſitudines, aliæque & temporis & loci circumſtantiæ, quæ Judici anſam & argumentum præbere poſſunt, ut ſtateram magis in unam, quàm alteram partem flectat, plurimùm conferunt. Solùm igitur reſtat, ut ii deligantur Judices (indigenæ ſint, ſive exteri, parùm refert) qui ſumma religione præditi, & longâ rerum experientiâ, atque Legum ſcientiâ clari, bene ratiocinari ſciant: dein DEUS O. M. in vota vocandus, ut in diſceptandis controverſiis à vero non aberrent.



CAPUT XIII.

De nonnullis Regulis, quas Judex ſequatur.

OMnibus, quotquot dicundo mortalibus juri, vel dijudicandis inter duos, ſuper fortunis vel juribus, aut etiam delictis & pœnis litigantes, cauſis præficiuntur, nonnullas, nobili, quo funguntur, officio perquàm neceſſarias, & à recta ratione dictatas, & à Lege ſcripta confirmatas, regulas in animo perpetuo habendas, atque adamante notandas eſſe arbitror. His Judici immotè ſtandum: hæc oculis illorum, qui judicia exercent, ſemper obverſentur, ſi vel fallere nolunt, vel ſi peſſimo fato ſuo (quod non raro vel invitis fieri poteſt: fallentes Deo ſententiarum ſuarum rationem reddere nolunt. Cæterùm cùm Judicis officium varii cùm Jurisperiti, tum Theologi accuratè non minùs, quàm copiosè pertractârint, non eſt conſilium mihi, antiquam crambem recoquere, ſed tantùm ea compendio notare, quibus

quibus fortasse non pauci illorum maximè indigent, qui ad tam nobile munus adsumuntur.

Prima itaque Regula est: *Judex in causis ordinariæ cognitionis, ubi super quodam Jure, vel puncto Legali, vel mente Testatorum, aut contrahentium disputatur, in conscientia opinionem magis probabilem sequi tenetur, ita quidem, ut ei probabilem sequi minimè liceat, ubi contraria probabilior esse censetur.* Ætas superior grandes, & prolixas inter Theologos Morales circa probabilitatem opinionum ad actus humanos pertinentium disputationes vidit, vel audivit. Et sanè in hunc diem tot inter diversas sententias, ac opiniones ancipiti semper marte dimicatum est. Verùm quod ad fortunas & res alterius attinet, jam decisum est, quòd in potestate, & arbitrio Judicum minimè situm sit, probabilitate aliqua, ab in- vel exterioribus rationibus proveniente, niti, ubi major probabilitas, & maximè fortibus interioribus rationibus nixa, in alteram pugnat. Plurimæ quæstiones, ac causæ eorum arbitrio, qui forum agunt, reservatæ sunt; imò tantus illarum est numerus, ut, postquàm Bartholomæus Cepolla eas pertractavit, celeberrimus Jacobus Menochius duo Volumi-

na majoris folii *de Arbitrariis Judicum* impleverit. At de aliorum fortunis, ac facultatibus ad arbitrium libidinémque suam ut pronuntient, id enimverò nequaquam in potestate eorum, qui judicant, positum est: Judices enim bonorum ac rerum, quas litigantes ad eorum tribunal deferunt, minimè potiuntur, ut ab ipsorum arbitrio pendeant, sed ad eum spectant, qui melioribus rationibus sibi eas deberi probaverit, ita, ut sine gravis injuriæ nota eidem auferri, alterique dari nequeant. Hìc non prima duntaxat loquuntur rationis principia, sed hæc regula etiam à C. *Juvenis de sponsalibus* his verbis confirmatur; *In dubiis pars tutior est eligenda.* Ea de causa Pontifex Maximus Innocentius XI. gloriosissimæ Recordationis hanc propositionem, quæ inter damnatas ab eo secunda est, jurè optimo damnavit: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem.* Respublica Judices tanquam fideles veritatis juxta ac justitiæ Ministros constituit, tacito pacto, & sacramento obligatos, ut, priùs quàm ferant sententiam, quàm diligentissimè utriusque partis jura cognoscant, rationes accuratâ mentis trutinâ examinent, & tum demùm secundùm eam pronuncient, cujus causa melior esse cognoscitur. Secùs si fecerit Judex, sciat velim,

velim, quòd is ipse, qui fures minimè tolerare, sed pænis adficere debet, furti reus fiat, eoquòd rem alterius aufert, ac grave detrimentum eidem injungit, cui illa ob fortiores & majoris roboris rationes debetur. Nemo sanè est, qui ignoret, quàm grande coram DEO, æquissimo Judice, piaculum in se admittant, qui vel obicem alteri statuunt, quò minùs rerum suarum potiri queat: quantò graviore sese scelere adstringent, qui earum possessione alterum technis, aut malis artibus pellunt; vel si possessionem non tenet, melius certè jus habet, quàm possessor, easdem obtinendi? Videas Judices, quos cupido incessit, uni potiùs partium, quàm alteri favendi, totâ virium contentione in id incumbentes, ut rationes piscentur, auctorésque coacervent, qui è sententia sua loquantur. O factum bene! quòd conscientiæ furias nullo negotio mitigare, atque contra eam partem, à cujus causa quàm remotissimi sunt decernere possint. Omnibus votis (ausim dicere) expetendum esset, ut & id genus Judicibus in causa hæreditatis, vel contractûs dica scriberetur: propè fidem enim est, eos iniquo animo laturos, si eadem ratione, & modo judicarentur. Quare haudquaquam sufficit, eas excogitare rationes, ut sententiam fundatam credere pos-

ſimus: nam ejusmodi ſententia erit quidem fundata, ſed non erit juſta. Non ſupremum duntaxat Numen, ſed tacitè etiam Reſpublica (hoc animo bene volvant, qui judicia exercent) nos obſtringunt, pari cupiditate, ac induſtriâ in alterius partis rationes, atque Auctores, qui eidem favent, inveſtigare. Quotiescunque autem fortiores, ſeu quod idem eſt, probabiliores, quàm illæ alterius partis, apparent opiniones, minùs probabilis relinquenda eſt, ubi altera probabilior eſſe videtur. Hæc de eo dixiſſe velim, qui inſigni eſt pietate in Deum: nam de eo, qui omnem Dei timorem, religionémque abjecit, & tanquam tortor & carnifex ad comprimendam, ulciſcendámque plebem electus eſt, verba impræſentiarum non facio.

Altera regula eſt: *Judices non debent ſpecie Æquitatis dolosè cum Juſtitia agere.* Certum eſt, quòd Chriſtianorum Tribunalia *Æquitati* locum dare debeant, quæ tam amplo gaudet imperio, ut Julius Cæſar Calvinus Juſtum volumen de eo in lucem emiſerit: Auctoritas verò, & poteſtas illius non rarò tanta eſt, ut Legibus moderetur, teſtamentarias tabulas inſtauret, pacta conventa abroget, voluntates & actiones mortalium in meliorem, quoad ejus

fieri

fieri potest, modum ac normam redigendo. Verùm quemadmodùm multæ res, in orbe terrarum seu institutæ, seu permissæ, sunt justæ, vel injustæ, sicque laudari, vel vituperari merentur; ita privilegium Æquitatis, Judicibus concessum, nullo negotio in abusum, & detrimentum ipsius Justitiæ verti potest. Fuerunt, sempérque erunt, qui existiment, se, ex quo Reipublicæ gerendæ admoti sunt, omnibus Legibus æquè ac pactis majores, atque superiores esse; siquidem non nesciunt, se ex æquitate judicare posse. Quapropter quidquid magis convenire ipsis videtur, id statuunt, judicantes, homini hoc potiùs modo, quàm illo agendum esse. Apud illos omnes testamentariæ tabulæ, omnes contractus, pactiones omnes periclitantur. A vero equidem minimè abludit, hunc illum sic voluisse, sic statuisse: verùm secundùm superiorem horum excellentissimorum Virorum sapientiam aliter velle, aliter statuere debebat: & sic demùm eorundem sententia præscribit. Jam ad alia Fori mala, quæ Jurisprudentiam magna ex parte incertam, ejusdémque Judicia dubia reddunt, ac Justitiam penitùs subvertere possent, hæc quoque pestis accedit. Quòd rigori pœnarum imminuendo, molliendóque æquitas interponatur, ùt plurimùm bene fiet. Quòd

frau-

fraudatis, atque circumventis ſuccurratur, & contractus eorum, qui ignorant, ad bonam fidem reducantur: quòd dotes, alimenta, & juſtæ mercedes ſtabiliantur, aliisque id genus rebus Reipublicæ provideatur, exquiſitis mehercle laudibus efferri meretur. Quòd verò Judex in tot aliis caſibus credat, in ſuo poſitum eſſe arbitrio, Jus ſcriptum, atque Inſtrumenta inſtaurare, utendo æquitate non ſcriptâ: quòd ille pactiones, non doloſas & expreſſas, velit reſcindere, & nullam juramentorum habere rationem, quorum conſervatio non ſolùm Reipublicæ plurimùm intereſt, ſed etiam à Jure gentium, & Civili præcepta eſt, idque eoquòd illi meliùs videretur, ſi diverſis modis fieret; hoc jam non ampliùs æquum, ſed iniquum meritò dixeris; alexipharmacum eſt, quod in venenum convertitur. Videantur, quæ hac ſuper re Tiraquellus Commentario in *L. ſi unquam C. de revoc. donat. v. Libertis n. 16.* ſcripſit, citatis in hanc rem etiam Cicerone, & Quintiliano. Sed multò magis ea legantur, quæ idem Auctor in Tract. de Retract. §. XXXV. Gloſſ. I. Num. XXXI. annotavit, ubi contra æquitatem imaginariam Baldi, Pauli de Caſtro, Curtii Senioris, Jaſonis, aliorúmque auctoritatem adducit, dicens *Quorsùm attinebat Leges ſcribi,*

scribi, si Judicibus liceret discedere à scripto, & suo arbitrio æquitatem fingere? Et faxint Superi! ut ne & Judices terræ in hunc errorem, atque abusum, præcipites agantur.

Vidua exempli causâ sibi nuptialibus tædis sociat Titum, quem etiam in domum suam admittit, hoc pacto, & fide tabulis sancitâ, ut ipsa omnium facultatum suarum curam habeat, illæque ab ipsius arbitrio pendeant, reservando sibi potestatem, ubi placuerit, marito dotem constituendi. Inter hæc cùm parsimoniâ suâ, tum honestâ negotiatione, auxiliares etiam manus porrigente marito, & Census, & bona immobilia acquirit, nec eo inscio, nec invito omnia instrumenta uxori in memoriam sunt. Brevi temporis spatio correpta morbo, testamenti tabulas condit, atque pauperes hæredes scribit: marito autem omnium fortunarum usumfructum legat, dotem eidem constituens, si fortè ususfructus illi displiceret. Maritus horum omnium probè gnarus, se contentum esse asserit. Verùm vix uxor fatis concedit, mox ille litem movet, partem bonorum, ope suâ collectorum, deposcens; & æquitas in arenam descendit. Liquida est conditio, in quam convenerunt; constat de instrumentis,

tis, ad pacta attendere oportet: nihil refert; Æquitas audiri desiderat. Plura hac super re jam non dicam. Id enimverò omnium animis perpetuò inculcabo, imaginariam Judicum æquitatem minimè ferendam esse; sed ubi Leges, & Statuta, tametsi severa, clara, ac voluntates paciscentium manifestæ, fraudisque expertes sunt, Justitiæ, non autem æquitatis est, controversias componere, & lites decidere, quia in ejusmodi casibus, quemadmodùm Stephanus Gratianus in Disceptationibus Forensium Judiciorum Cap. DXXXIX. Num. XXV. observavit, *non dicitur æquitas, tanquam sit ex motu & affectione animi contra Jus scriptum; ideò non est sequenda, imò per Judices evitanda. Alioquin nihil esset certum ac perpetuum in Jure nostro, quibuslibet detorquentibus causarum statùm ad quamlibet imaginariam & abusivam æquitatem, quæ non adjuta Legibus non est curanda, & secundùm eam non posse judicari dicunt omnes in L. placuit ff. de Judic.* &c. Secùs Judices quot diebus res novas in Tribunalibus molientur, sibique potestatem tribuent, Principi soli reservatam, rogandi nempe, & abrogandi Leges; imò eam sibi adscribent, quæ ne Principibus quidem competit, alterum scilicet rebus suis exuendi, eásdemque illi dandi, qui ipsis in pretio est.

Finga-

Fingamus animo, quòd, statuto ea præscribente, quæ maritus testator uxori legare potest, id est, vel mille libras, tanquam facultates proprias, vel usumfructum bonorum suorum; Fingamus, inquam, animo, quòd nonnemo uxori suæ legatis quingentis aut mille imperialibus, tanquam propriis, extraneum bonorum suorum hæredem scribat, quódque misericordes Judices, æquitate permoti, in gratiam illius decidant, cùm propè fidem esse videatur, Testatorem in ejusmodi casu, & hæredibus suis, & parentibus, qui intestato succedere possent, destitutum, uxori gratificari posse: siquidem Legislatorum, seu Statuentium consilia solùm eò spectâsse videntur, ut ne importunitas, vel callida, & assentatoria mulierum eloquentia liberis, & agnatis in detrimentum cedat. Verùm hac ratione Statuto nova Lex adderetur, quod Judicibus facere minimè licet. Sic Legislatorum mentem nimiâ libertate interpretarentur, quos, utpote Viros insigniter prudentes, non fugiebat, fieri facilè posse, ut Mariti sine Liberis, & parentibus, à Legibus vocatis, fato concedentes, in extraneorum gratiam testarentur; & si ejusmodi casus excipere voluissent, nullo negotio dictum pretium his verbis: *exstantibus liberis, & agnatis* circumscribere potuissent, quod tamen

tamen facere noluerunt. At si illi, in quorum potestate situm erat, id non fecerunt: quî id facturus est, eâdem cum illis potestate haudquaquam præditus? Fortassis etiam Testator, quem diximus, ingratiis suis, ut pacis tranquillitate domi suæ frueretur, mille imperiales uxori legavit; nec arduum illi ac difficile fuit, eidem satisfacere, cùm non ignoraret, fore, ut Statutum commodè medelam adferat. Nihilominùs dari posset non nemo, qui secundùm mulierem judicaret, ratus, in potestate atque arbitrio suo positum esse, Statutum in hoc corrigere, & instaurare. Qui vinculô Legum solvi cupit, à Principe immunitatem earum petat oportet: Judices enim Legis gratiam aliis facere nequeunt.

Tertiò quamquàm alio jam loco ejus rei injecta sit mentio, operæ tamen pretium facturum me confido, si dicta repetam, & eam hoc etiam loco pro viribus inculcâsse. Multa, imò plurima à Legibus potestati, atque arbitrio Judicum relicta sunt; sed ea, quæ ad exitum, vel naturam litis spectant, nequaquam eorundem arbitrio relinquenda esse censeo. Istius autem arbitrii, in aliis quoque partibus, & occasionibus non substantialibus, notio & significatio alia non est, quàm quòd minimè

Judi-

Judicis voluntati, seu mavis dicere, pertinaciæ atque libidini, sed ejusdem prudentiæ relictum sit, dilationes, rerum inspectiones, pretia, stipendia, examina, aliáque his similia interlocutorio modo, quemadmodùm prudentem, & integrum Virum decet, statuere, idque quin ab aliquo animi motu abduci, sed solo æquitatis amore moveri patiatur, ut in unam partium propensior sit: nam quod ad naturam, & substantiam litium attinet, nullum Judici arbitrium conceditur; nec mihi dubitare in mentem venit, quin omnes & singuli Judices id sciant, vel scire debeant. Cuilibet illorum pro prudentia & conscientia sua secundùm eam partem pronuntiandum est, cujus rationi majus inesse pondus ac robur credit, etiam contra parentem, amicum, vel Principem ipsum, sollicitè attendens, ut priùs se ipse, quàm judicet, coram DEO, qui omnibus locis præsens est, examinet, an in judicio suo in unam litigantium partem magis propendeat, & an huic potiùs quàm alteri palmam deferre studuerit. Dantur, haud diffiteor, adeò impeditæ, atque ancipites causæ, ut Judicium facilè doctissimorum Jurisprudentiæ Doctorum, quorum mentum promissa ornat barba, suspendant. In

hoc rerum ſtatu Judex ad arbitrium libidinémque ſuam ſententiam ferre nequit, ſed unum ex duobus ſequentibus mediis amplecti oportet. Nihilominùs antequàm ea in apricum proferamus, virgulâ cenſoriâ notari meretur, quod Decianus Apolog. Cap. XIX. num. XVII. in hæc verba ſcripſit: *in dubiis valdè & perplexis quæſtionibus excuſatur Judex, ſi pro amico judicat.* In ejus rei confirmationem citat Innocentium *C. ne innitaris de Conſtit.* Baldum Conſ. CCCCXCII. Num. I. in fine in III. & Afflictum Deciſ. CCCLXXXIV. Et hoc olim dicebatur *punctum Amici*, ùt ex Tiraquello, & Azzoguido patet. Verùm hæc opinio ex juſtiſſima Theologorum mente erronea eſt, quia in hoc notitia, ſeu ut meliùs dicam, perſuaſio juſtitiæ, quæ judicet, non datur, ſed affectio, ſeu animi motus, quod nunquam licet, ubi de re alterius agitur: adhæc opinio illa peccatis obnoxia eſſet, tametſi fortè ex intervallo conſtaret, ſententiam fuiſſe juſtam. Legitimum itaque medium primò eſt, ut Judex, quemadmodùm aliàs memoravimus, diſceptantibus partibus integram amicitiæ fidem, ac pactionem (vulgò transactionem vocant) ſuadeat, vel à ſe ipſis privatim, vel earum adſenſu ac nutu, à judice etiam contrahendam, qui eandem quoque pro re nata præci-

præcipere potest. Hunc in modum consuluêre, vel variis in casibus usu exercuêre Socini, Philippus Decius, Paulus de Castro, Cumanus, Fulgosius, suprema Pontificis Curia, aliæque, & præ aliis Boërius Decis. XLII. Num. XXXIX. ejus meminit. Verùm si hæc etiam via, quæ & honestati, & rationi maximè consentanea esse videtur, licèt in Tribunalibus Regni Neapolitani propter abusum, quem mortalium petulantia invexerat, prohibita sit, non placet; minimùm Judex, nî in ferenda sententia ardentibus furiarum tædis agitari, atque perterreri velit, priùs mentem dubio expediat oportet: siquidem ex Navarri, aliorúmque non paucorum Theologorum sententia, cui etiam Menochius de Arbitr. Judic. Lib. II. Cas. CCCXXXIX. subscribit, Judici minimè judicare licet, dum anceps suspenso hæret animus consilio, quia nescit, an, ab una parte stans, alteri injuriam inferat. In ejusmodi ergò casu causa quàm diligentissimè examinanda, rationes & utriusque partis jura accuratiore mentis trutinâ ponderanda, illúdque dubium, quo implicatus ferè tenebatur, animo ejiciendum est, quin secretæ cujusdam affectionis consilium audiat, firmiter sibi persuadens, unam litigantium partem alterâ meliorem habere causam. Hoc si fecerit, optimæ mentis con-

conſcientiâ, ac citra culpam de negotio ſtatuere poterit. Equidem Legulejos minimè latet, in ancipitis aleæ caſibus magis Reo, ſequioris ſexûs doti, Liberis, Agnatis, atque teſtamentariis Tabulis favendum eſſe: nihilo tamen minùs Judex ſententiam ut ferat, quæ, quoad feret facultas, & veritati, & æquitati, & juſtitiæ conſentanea ſit, contraria rationum momenta ſenſibus imis reponenda, atque æquali curâ & ſtudio eidem ponderanda ſunt.

Notandum demùm venit, ſummis laudibus ornandum, atque in omnibus Tribunalibus uſu exercendum eſſe, quod cumprimis in ſuprema Pontificis Curia obtinet. Judices nempe in Contradictoriis, vel ubi Juriſperiti eos informatum eunt, difficultates, quæ rationibus unius partis adverſantur, & argumenta, ut in alteram magis inclinent, ſincerè exponere, atque in medium adferre debent. Id ipſum in regione quadam ipſum Judicem, tanquam corruptum, & partibus addictum, in ſuſpicionem traxit; quid quòd nonnulli Principem eo potiſſimùm conſilio adierint, ut adderet quoſdam, qui ſuam cum illo operam communicarent, cupiditatémque frænarent. Verùm Principes pro ſua prudentia ejuſmodi actionibus nec faciles aures præbere,


nec

nec Judices ob frivolas causas in suspicionem adducere, sed solùm malo mederi deberent, ubi justa proferuntur argumenta, Judicem illum vel recusandi, vel petendi, ut ei Amyntas, socius muneris, adjungatur, qui laboris partem obeat, potentiámque temperet. Cæterùm nemo inficias iverit, morem illum, quem diximus, difficultates nempe & argumenta contraria in medium adferendi, justissimum esse, cùm Judicis conscientiæ æquè ac litigantium necessitati summè proficuus sit, fructu & in hos, & in illum redundante. Simul enim ac Causidici, vel Procuratores ex ipso Judicis ore intelligunt, quibus oppositionibus mens illius æstuet, mox ea respondere poterunt, quæ ipsis cùm ad difficultates explanandas, tum ad Judici satisfaciendum necessaria videbuntur. Denique cùm Judex, ùt aliàs memoravimus, docilis, & paratus esse debeat, susceptam opinionem mutare, ubi fortior, & rationi magis congrua in lucem profertur; pars altera spem concipit, non illum duntaxat à proposito suo dimotum iri, sed etiam litem evincendam esse. Quod dein ad Judices ipsos attinet, cùm illi nihil nisi veritatem, ac justitiam honestè desiderent, ut optimæ mentis conscientiâ recreari possint, eáque in vado sit, plurimùm conferet, si disceptantibus ratio-

 tio-

tiones, quæ ipsos ad pronunciandum secundùm hanc potiùs, quàm illam partem movent, dicto modo candidè, & absque fuco aperiantur, eum in finem, ut facem præbeant, si fortè ad solvendas, quæ in lucem prolatæ sunt, difficultates veniant, & ratio illius partis præquàm aliàs solida esse ostendatur. Cæterùm Judicibus, si quid ego judico, meis haud opus est documentis, ut muneri suo satisfaciant, quàm diligentissimè examinantes, an doctrinæ, decisiones, aliæque allegatæ auctoritates ad rem, qua de contenditur, atque ad instituti rationes faciant. Attamen hæc in memoriam revocâsse nemini unquam obfuturum existimo; siquidem à Doctoribus quotdiebus Leges, & paragraphos nimioperè immisceri, ingentémque Auctorum, & Decisionum numerum citari videmus, nullâ habitâ ratione, an præsenti casui generales termini, Conclusiones, atque sententiæ conveniant, quibus in alio casu fortassis nihil aptius erat; ob alias tamen, atque alias circumstantias in præsenti servire minimè possunt. Videas Judices (maleferiatos jure dixeris) qui hanc difficultatum, argumentorúmque comparationem animo minimè volutent. Ad Causidicum, vel contrarium Procuratorem, ajunt illi, res istas enucleare, majorémque illis affundere

dere lucem ſpectat: noſtrarum verò partium eſt, de negotio ſtatuere, atque ſententiam ferre. Verùm qui à recta conſcientia ne tranſverſum quidem unguem diſcedit, honoriſque ac famæ ſuæ amore ducitur, alio longè modo & loquitur, & operatur. Quamobrem unanimi omnes ore fatentur, Judicibus, ut ex æquitate jus dicere poſſint, utriusque partis jura quàm diligentiſſimè examinanda, causáſque probè expendendas eſſe? Hoc proinde officium etiam paulò antè memoratam comparationem complectitur. Sed cùm in noſtra fortaſſis Italia ejusdem notæ negligentes, ac improvidos Judices, qui munus ſuum minimè curant, haud facilè reperias, datâ operâ plura in hanc rem ſcribere ſuperſedeo.



CAPUT XIV.

De pernicioso Jurisprudentiæ Nævo ob longi subsellii judicationem.

HAud opus fore existimo, ut animum ad probandum appellam, longas, ne dicam, æternas nostrâ etiam ætate esse lites: nemo enim est, qui, vel extremis, quod ajunt, pedibus Tribunalia tangens, vel fortunæ ludibrio, actionem intentare, vel jure cum altero experiri coactus, nesciat, an id genus jurgia, & controversiæ breviter absolvantur, vel in plures annos trahantur. Et hæc pestis non in nostram duntaxat Italiam, sed & in omnes Provincias, nec nostro tantùm ævo, verùm etiam priscis temporibus, & maximè superioribus abhinc Seculis bacchata est. Ubi Leges Romanæ, velut intermortuæ, Seculo XII. in vitam denuò revocatæ sunt, & magna Legum scientia ordinarias causas agitare incepit, mox & Jurisperiti nullum non

non movere lapidem, artes ac modos ut excogitarent, easdem protelandi: quod haud alio consilio factum fuisse credam, quàm ut cuncta dubia elucidarentur, nec Judices tam facilè allucinarentur. Faxit DEUS, ut id saltem obtineretur. Verùm hoc certè obtinetur, ut, quò longiùs trahuntur causæ, eò magis Patronis, Procuratoribus, Tabulariis, ac Libellionibus sua merces crescat. Nec est dubitandi locus, quin, quò plura litis instrumenta conficiuntur, eò magis miserorum litigantium impensæ augeantur. Cæterùm si facta excipias, quæ excussis studiosiùs chartis, & testimoniis plùs enodari queunt, causæ, ab initio statim obscuræ, ejusmodi etiam post plurium annorum in Foro disceptationem erunt, dum denique Judex uni partium plùs suffragetur, ac pro ea pronuntiet.

Jam dictu longè difficillimum est, quas artes, quæ effugia, quas remoras scientia illa, cujus est, vel per se, vel per alios Justitiam administrare, excogitârit, atque indies usurpet, ut negotia forensia vel nunquam componantur, vel multos annos in tribunalibus perennent. Hæc est una magnarum Lectionum, ad quam Curiæ Candidati toto pectore incumbunt: hoc

exercitium illis familiare, atque solemne, qui insignem Actores, vel Reos defendendi provinciam in se suscipiunt. Eorum exercitationes (praxes vocant) & judiciarias consuetudines, qui in Speculo Durandi, ac in Libris Caroli Pellegrini, Ridolphini, Corradi, Marantæ, aliorúmque probè observant, Luxuriantem Stropharum, ac dilatoriarum, declinatoriarúmque exceptionum silvam, ad lites prorogandas, & si possent, perpetuandas, in illis invenient. Si quis Actibus judicialibus coram Tribunali initium fecerit, variásque citationes atque cognitiones, seu instantias, ùt ajunt, prosecutus fuerit, quin Adversarius respondeat, continuò ea animum vestrum subibit opinio, eundem victas dare manus, nec quidquam vobis, præter Judicis sententiam, deesse. At ecce! is ipse Adversarius derepentè incompetens forum causatur, & infelix Actor, à via aberrans, aliam rursùs ingredi cogitur: præpostere enim hactenùs ibat. Quin imò hic legum vinculis exsolutus seu privilegiatus ad varias instantias, & tunc demùm ad *Conclusum in causa* respondere, ac adlato in medium privilegio suo, omnes illas cognitiones, seu instantias, atque cunctos Actus judiciales, declinatoriam Fori exceptionem prætexens, ridere potest. Pejúsne quid Actor audire? Quasi verò

verò ille in Judicem, à quo in jus vocatus erat, consentiens, vel saltem non repugnans, tametsi vocatus, tacitè privilegio suo non cesserit, pænámque meritus haud sit, qui hac ratione Justitiam, atque Personas Forenses, Sannis, ludóque excipere non dubitat. In Regione quadam varia dantur Tribunalia, è quibus certæ personarum Hierarchiæ, seu status pendent. Non rarò contigit, ut ordinariæ causæ reus in Tribunali quodam in angustias redactus, se ex alio pendere prætendendo, periculo sese exsolverit; dúmque in hoc quoque in ultimam lineam incidit, patentes alterius Tribunalis litteras proferendo, evaserit. Et istæ iniquitates, quæ furiosiùs sæviunt, permittuntur, nec unquam sapientes Principes his fori, & judiciorum malis medelam adferre cogitant. Si incompetentis Fori, vel Judicis exceptio adducatur, simul ac lis oritur, ferendum adhuc est; sed ubi partes in Judicem consensêre, rationésque suas probavêre, jam non integrum est, ejusmodi effugiis vel Foro, vel Judici sese subtrahere; nec id quisquam justum privilegium dixerit.

Cœptam nihilominùs telam pertexamus, cùm denique nec Forum, nec Judicem quis effugere possit. In molesta adeò palæstra

palæstra is, cui dica scribitur, animo nequaquam cadat oportet: vias enim protrahendi pugnam facilè inveniet. Ac primò quidem instare debebit, ut Actor sit legitimus; deinde ut is satis probet, se filium, hæredem, cessionarium, donatarium &c. &c. esse; Tertiò ut illius Procurator sine speciali mandato non audiatur, &, si præpedimentum obstet, vel difficultas subsit, illud ipsum mandatum non modò in controversiam vocari, atque impugnari, sed etiam ad Bartoli, & Hondedei mentem à tali Decreto ad aliud Tribunal provocari poterit, tametsi Judex illud sufficiens decernat. Sic enimverò depontani Senecciones hujus inclytæ professionis docent. Aliæ præterea exceptiones dilatoriæ, quales sunt dare fidejussionem *de Stando juri*, *de judicio sisti*, *de judicatum solvendo &c.* à reo apponi solent, quæ in aliquibus casibus justæ, injustæ in aliis, omnes verò ad prorogandam molestam luctam semper satis efficaces esse censentur. Lite etiam necdum contestatâ, libelli ambiguitas, & obscuritas oppugnari potest, usque adeò, ut Actor illum vel mutare, vel explanare, aut Judex decretum proferre cogatur; quod si fiat, juramentum calumniæ exigitur. Lite dein contestatâ, longum foret, siquis in tabulas referre vellet, quæ exercita-

citationes, seu instantiæ, responsa, & termini concedantur, imò necessarii esse credantur. Quamquàm autem à Principe etiam obtineatur, ut causa, sine figura, & solemnitatibus judicii, observatâ solùm facti veritate, per compendium terminetur; nihilominùs multi istorum terminorum judicialium, multæque exceptiones dilatoriæ requiruntur, cùm nostrâ ætate Judices Ordinarii, audito & explanatò Facto, vel lectâ scripturâ, tantâ ingenii perspicaciâ haud se præditos esse existiment, ut stantes, quod ajunt, & procedentes controversiam decidant, id quod tamen tot alii minores Judices in causis, plebem inter ortis, facere assolent. Mirum quoque haud abs re videtur, quòd Doctores nostri, consentientibus etiam litigantibus, ut per compendium, & sine prædictis prorogationibus de eorum causa statuatur, id tamen nequaquam permittendum esse doceant, hanc adsignantes rationem, quòd, quemadmodùm ægrotus sine Medicinæ solemniis non bene diem extremum clauderet; ita illa sententia haud bona, & valida foret, cui judiciorum solemnia deessent.

Absit à me, ut Lectores per jocum in amplum & spinosum causarum, judicialiúmque Ordinum (Jurisconsulti *Processus*

vocant)

vocant) labyrinthum introducam. Deum O. M. supplicibus potiùs fatigent votis, ut ne impendio, & damno suo unquam discere debeant, quæ isthæc sit Regio. Certè omnibus artubus contremiscerent, vel maximâ saltem circumfunderentur molestiâ, si testudineum, quo lites forenses incedunt, gradum oculis suis usurparent, maximè ubi examina, publicationes, & repulsæ Testium, cum repulsis repulsarum, restitutiones in integrum, revocationes attentatorum, litteræ compulsoriales, & id genus alia implicantur. His immensa propè feriarum, festorúmque dierum multitudo accedit, in quibus Forum tacet. Ut silentio involvam, quot ad Luctam terminatâ etiam causâ, prosequendam, obicémque ponendum, ut ne sententia pronuntietur, effugia restent. Hac dein pronuntiatâ, si non sit à Judice, vel Tribunali Supremo lata, bellum neçdum finitum esse scias; nam appellatio, seu provocatio (intra Statuti temporis terminos, qui nominantur *Fatalia*) ad aliud Tribunal in promptu est; & dictâ etiam in hoc alio post longissimam, quæ intercedit, moram sententiâ, rursùs ad aliud Superius Judicium appellatur, seu provocatur: vel in unaquoque ex præcipuis Curiis à tribus diversorum Judicum Ordinibus tres emanare solent sen-

ſententiæ, quæ non raró ſibi invicem plurimùm adverſantur, & diſcrepant. Eandem opinionum varietatem fortaſſis videas, ſi hæc ipſa cauſa pedetentim ad innumeros penè alios Judices, ac Tribunalia deferenda eſſet.

Ex his omnibus ſequitur, quòd nimia Litium diuturnitas, atque prorogatio ob tot tantáſque ſubtilitates, & ambages, quas acutum Locutulejorum Forenſium, & rabularum ingenium excogitavit, ea ſit peſtis, quæ non modò in Italiam, & tot alias Chriſtianas Regiones furioſiùs ſævit, ſed etiam omnibus, quotquot peſſimo fato vel aliis advocatione litem inſtruere, vel de jure contendere coguntur, ſummum incommodum, & damnum infert. Quando etiam res eſt de credito, quod liquet, & negari non poteſt, ſed mox diſſolvendum eſſet, ſimul ac debitor comparuerit, Procurator, ad quem ille confugerit, ſolis exceptionibus generalibus, & multò magis cavillationibus, quæ volenti nunquam deſunt, tam bellam ſtropham texere noverit, ut plures menſes abeant, dum ille ære alieno exire teneatur: quin imò nonnulla Statuta debitori adeò favent, ut ea à Doctoribus compoſita diceres, qui & ipſi obærati, nomina ſua expungere quàm diutiſſimè comperen-

perendinârunt, Ad hæc tot tantísque reſponſionibus, probationibus, ac decretis inſtrumenta, & cauſas, quas litteris dodrantalibus, laxas ducendo lineas ſcribunt, hoc modo augent, ut, qui litem evicit, impenſas, in ſportulas, ac ſtipendium Advocatorum, Procuratorum, Tabellionum Apparitorum &c. factas, magis defleat, quàm qui causâ cecidit: Adeò nempe graviùs putes ſic vincere, quàm confeſtim damnari. In hanc rem non injucundum, opinor, Apologum referam. Quo tempore beſtiæ, in varias diviſæ Reſpublicas, colloquia ſerebant, duas fuiſſe feles accepimus, quas inter, inito fœdere convenerat, ut, quidquid harpagâſſent, æquâ lance inter ſe dividerent. Fortè ablatâ ab una illarum furtim caſei metâ, continuò lis orta eſt, utraque partem ſuam eſſe minorem cauſante. Et certè res jam in eo erat, ut cauſam unguibus dirimerent; cùm ecce maturioris ævi felis, ne quid non ex more, & æquitate fieret, arbitrum petere, ejusdémque judicio, vel cadere causâ, vel vincere. Itum eſt in eam ſententiam, ut, in quem primum ſeu hominem ſeu feram incidiſſent, is pro Prætore jus diceret, à quo ad aliud provocare Tribunal deinde neutri liceret: ad id locorum induciæ eſſent. Inde pergentes, procul Simiam conſpicantur, Juris, ſupra

ſupra quam credi poteſt, peritiſſimam, quæ vel ipſum Bartolum Leges doctura fuiſſet. Hanc idoneo loco nactæ judicem, officiosè cominùs ſalutant: Ortam, ajunt, inter ſe controverſiam ſuper re liquidiſſima, quam ipſa, pro ea, qua polleat, experientiâ diſceptare momento poſſit, ſi in gratiam litigantium tantiſper forum agere velit. Simia, audito cauſæ ſtatu, quem altera felis exſertè, partitéque propoſuerat, quantocyùs bilancem ſibi adferri jubet, eidémque caſei quadras imponit. Verùm Judex, compertô, alteram caſei quadram ſextante graviorem eſſe, nihil nectens morarum, illam, ut æqualiter partiretur, admordit, ſapidéque mandit, ita, ut hæc jam unciâ minor fuerit alterâ, quæ bilanci adhuc impoſita erat. Hìc Simia, tam dapſili cibo capta, majorem mox caſei metam invadere, morſu tentare, tantúmque placidè abſumere, quantum placuerat. Viſo hoc ſpectaculo, læto ſanè, aliquamdiu ſilentium, & mutuus partium aſpectus tenuit, donec annoſa felis ad arbitrum converſa: Domine Judex! inquit, ſi ejusmodi ſunt Juſtitiæ Lances, ad extremum contra omnes, atque adeò etiam contra nos ambas lis dabitur. Aliud jam mihi medium ſubit, ortam inter nos controverſiam componendi. Nec mo-

ra: casei reliquias scitè sumit, easdémque cum socia tranquillè consumit. Præter impensas deinde in Curiam, Patronos, Procuratores &c. faciendas, Clientes plerumque etiam sudent, & algeant oportet. Actum profectò de illo erit, qui se non movet, non urget & instat, causámque suam pro virili non commendat. Verum enimverò, insuperhabitis omnibus impensis, ac laboribus, causæ tamen, atque contentiones ætatem ferunt: abeunt menses; abeunt anni, quin vel finem earum videas: tot nempe sunt artes ac nomina, quibus miserrimos Clientes Patroni, & Judices frustrantur. Articulatim & lentè hos discerpunt, qui semel perire potuerant: Tot sunt Feriæ, ac vacationes, quibus Forum silet. Dantur lites, & fortassis in omnibus Regionibus, atque Provinciis; dantur, inquam, lites, quæ quinque, vel decem, vel viginti, & plures annos in Tribunalibus perennant, nec in hunc diem deciduntur. Malorum dein caput est, quòd causæ ab una Provinciæ civitate ad Suprema primariæ Urbis, non raró quàm longissimè distantis, Tribunalia deferendæ sint, in quibus Jurium defensores, causarúmque Patroni operam, laborémque suum carè nimis vendunt. Quid multa? Justitiam si vel hac solùm parte consideraveris, ob longi nempe

pe ſubſellii judicationem, ac litium prorogationem, non immeritò ingens, ſi non ſummum nefas, certè vectigal dixeris, ab eo pendendum, qui eandem in ſuppetias vocaverit.

Jam hoc malum, quod in hominum ſocietate neutiquam ultimum, atque leve cenſendum eſſe arbitror, oculis videmus, ac manibus palpamus; & tametſi ejusdem exceſſum cognoſcant, & maximè de eo querantur, quotquot illius laqueis capiuntur, tamen toleratur: quod autem magis mirere, nec ullus Principum eſt, quamquàm Reipublicæ, ac publici commodi ſtudioſus, qui eidem medelam ferre animo ſecum volvat. Nihilominùs hìc facilè non nemo Curialis, fervidus magnificæ artis ſuæ defenſor, in arenam deſcendere poſſet, pro ſuo in eandem affectu probaturus, judicialem Ordinem, qui hodie obtinet, cùm ad facta, ſuper quibus judicare oportet, perſpicua reddenda, tum ad partium rationes probè examinandas, easdémque ab ambiguis vocibus, antilogiis, technis, paralogiſmis, atque ſophiſmatis perpurgandas, non utilem duntaxat, ſed etiam neceſſarium eſſe: quid quòd eundem fortaſſis nullo negotio ad inſtruendum Judicem extendere poſſet, ut ille ſententiam, & æqui-

tati, & justitiæ consentaneam, solidè ferat. Verùm nos semper reponemus, multos Fori usus non inutiles modò, sed etiam haudquaquam necessarios esse, id quod apertè ostendere minimi foret negotii: ad hæc causæ, litésque sine ullo dispendio breviter absolvi possent; & si possent, absolvi etiam deberent, quod in omnibus Regionibus, atque Provinciis factum jam fuisset, si Causidicis & Forensibus rabulis spes affulgeret, se id omne lucrum ex causa, brevi temporis spatio compositâ, percepturos, quod ex eadem, in multos annos, & lustra protractâ, consequuntur. Quid porrò illâ tempestate, quà Romæ penes Consules Imperii fasces erant, factum sit, an nempe moras Justitiæ abruperint, vel negotia in plures annos comperendinârint, non adeò in promtu est dicere. Quamquàm mihi persuasissimum est, Romanorum lites ocyter decisas fuisse, eo maximè nomine, quòd id ævi non solùm minor Legum, actionum, & exceptionum numerus, ac testamenta simpliciora, & sine fideicommissis fuerint, sed etiam Prætor, aliique varii Judices sine æternis, & horridis, qui hodie invaluêre, ordinibus judicaverint. At ex quo tam immensa Legum farrago, tot Legulejorum ac forensium hirudinum subtilitates & cavillationes, lites

lites etiam æternæ esse ceperunt; sicque sub Justiniani ætatem fuisse, paulò pòst videbimus.

Nos Longobardos, & Francos gentes immanitate barbaras, moribúsque efferatas appellamus: nec defuêre, qui eorum Leges, tametsi omnes ferè bonas, & summâ commendatione dignissimas, asininas stolidè dicere non dubitarent. Verùm eorum simplicitatem certè illo perniciosissimo malo, quo de inpræsentiarum nobis sermo, exemtam fuisse fateamur oportet. In uno, vel duobus, aut summùm tribus judiciis scripturas, & testimonia producere, ac partium rationes adferre solebant; quo facto mox, nullâ interpositâ morâ, de negotio statuebatur. Comites, seu Urbium Præfecti, vel Legati, à Principe delegati, Actiones, seu postulationes in jus audientes, ex mente Judicum, qui ùt plurimum publicis aderant consiliis, controversias repentè decidebant. Reo citato vadimonium non obeunte, Actori jus suum probanti possessio fundi, quem jure sibi vindicare contendebat, sine tot ambagibus secundúm tabulas dabatur. Hæc Justitiæ conditio in Italia ad annum usque millesimum supra centesimum fuerat, ubi Legibus Romanis postliminiò restitutis, ingenium suum,

qui easdem profitebantur, exacuêre; quæ causa fuit, cur sophistica cum bella offendendi, defendendique arte, qua controversiæ tantoperè cum familiarum excisione prolatantur, in Forum sensim irreperet. Dixi, *cum familiarum excisione:* nam in hanc etiam sententiam suprema Pontificis Curia loquitur Decis. Recent. 461. num. VI. §. I. ubi de Litibus, *quas interest Reipublicæ*, inquit, *quantò citiùs finiri. Etenim non solùm consumuntur familiæ in expensis & jurgiis, verùm etiam homines in illis distenti publicis muneribus vacare, & aliorum hominum commodo deservire prohibentur.* Quamobrem eadem Curia Decis. Recent. 147. num. V. §. XV. in hæc verba exclamat: *Liceat exclamare malas lites, pejorésque beneficiales, hoc magis malignas, & maleficas, ac pestilentes, quæ litigantibus, nisi commorientibus communi clade, non commoriuntur, nec pugna finem, cum jacet hostis, habet.* Et Decis. 325. num. XI. §. XIV. & rursùs Decis. 479. num. XIX. §. XIX. T. II. *Litibus*, ait, *vexantur animi, & facultates dilabuntur; præsertim in Urbe, ubi non sine magno dispendio lites agitantur.*

Quæ cùm ita sint, quotquot confusionem, & gravia damna, quæ, non dicam,

cam, ex litibus (has medelam reſpuere conſtat) ſed ex earundem diuturnitate in univerſam Rempublicam redundant, conſpicantur, omnes, ùt ego quidem exiſtimo, ſi vel ſolos Curiales homines excipias, uno ore exclamabunt: Eccur hæc talis gangræna, quam & oculis compertam habemus, & ubique gentium atrociùs graſſari ſentimus, toleratur? cur ſapientes Principes doctrinâ inſignes juxta ac neutrius partibus addictos viros in conſilium adhibere, eorúmque ope ac induſtriâ publico huic morbo mederi non contendunt, utiliſſimâ ſanè Lege caventes, ut lites, cùm penitùs evitari nequeant, ſaltem brevi, juſto tamen, temporis intervallo decidantur? Sed commodùm Auguſtus Nomothetes Juſtinianus multis abhinc Seculis omnibus nervis contendit, quemadmodùm his fori, judiciorúmque malis occurreret, *L. properandum ff. de Judiciis. Properandum*, inquiens, *nobis viſum eſt, ne lites fiant penè perennes, & vitæ hominum modum excedant, cùm Criminales quidem Cauſas jam noſtra Lex biennio concluſerit; & cùm pecuniariæ cauſæ frequentiores ſint, & ſæpè ipſæ materiam criminibus creare noſcantur: præſentem Legem ſuper his per orbem terrarum nullis locorum, vel temporum anguſtiis coarctandam, ponere cenſemus.*

mus. Itaque decernimus, omnes Lites ſuper pecuniis quantæcunque quantitatis, ſive ſuper conditionibus, ſive ſuper jure civitatum, ſive privatorum fuerint illatæ, ſive ſuper poſſeſſione, vel dominio, vel hypotheca, vel pro aliis quibusdam cauſis, pro quibus hominibus inter ſe litigandum eſt, non ultra triennii metas poſt litis conteſtationem eſſe protrahendas. Hac ratione Juſtinianus trium annorum ſpatium (tempus cæterà nimis longum) conſtituit, ultra quod nullis civilibus, ſeu ordinariis cauſis fas ſit ſeneſcere, adeò quidem, ut, ſi partes easdem etiam diutiùs differre vellent, Judex inducias neget, atque ſententiam ferat. Pontifex Maximus Innocentius III. ardenter quoque ſitiebat, ut lites, quantum fieri poſſet, reſtringerentur, id quod ſatis apertè *C. Finem de dolo & contumacia* oſtendit. *Finem*, inquiens, *litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus, & expenſis*, regulam, dilationes ad deducendas exceptiones, quas ſe modò non poſſe probare dicunt, callidè petentibus præſcribit. Clemens V. non mediocriter etiam huic malo in multis cauſis Eccleſiaſticis remedium adferre adpetens, in Clement.*diſpendioſam de Judiciis: diſpendioſam*, ait, *prorogationem Litium (quam interdum ex ſubtili ordinis judiciarii obſervatione*

cau-

causarum, docet experientia provenire) *restringere in subscriptis casibus cupientes: Statuimus, ut in causis super electionibus &c. procedi valeat de cætero simpliciter, & de plano, ac sine strepitu judicii, & figura.* Hæc Pontificum, & Imperatorum oracula fuère. Nec ullam fortasse in Italia civitatem reperias, cujus Statuta moderationi litium non providerint; quin illud tempus, ultra quod causæ apud Judices non hæreant, maximam partem ad arctiores terminos constrinxère: siquidem triennii spatium, à Justiniano, ùt paulò antè memoravimus, præscriptum, non paucis justi temporis mensuram excedere, nimisque immoderatum est visum. Inter alia Statutum Mutinense lib. II. Rub. XV. *De in jus vocatis* decernit, ut intra quinque supra quinquaginta civilium dierum spatium, ex quo contestatio litis, ùt vocant, audita est, probationes deducantur, exceptiones opponantur, testes idonei, seu legitimi producantur, & causa terminetur; dein verò sex continuos menses eum in finem concedit, ut causa cum omnibus scripturis Judici ob oculos poni valeat: Quo facto intra viginti civiles dies Judex sententiam pronunciet. Idem Statutum Lib. II. Rub. XVI. sapientissimè statuit, quid circa exceptiones dilatorias, peremptorias, & mixtas, ne li-

tes prorogentur, in Foro observari oporteat; idque, ùt illi insigniter prudentes Legislatores asserunt, quia *nobis curæ est lites, quæ immortales jam ferè factæ sunt, diminuere, ac laboribus & dispendiis (quoad fieri potest) litigantes levare*, Brevius multò temporis spatium decidendis litibus Bononiense, ac Mediolanense Statutum constituit, quod & in aliis ejusmodi Statutis ac Legibus Municipalibus videas.

Verùm ad quid hujusmodi sapientissima æquè ac pertinaci studio eruta Majorum nostrorum decreta, atque Constitutiones faciunt? hujus tempestatis Judices, atque vultures, seu rabularum forensium venales animæ eas cachinnantur, explodunt. Causæ ad eorum genium, non ad Jus commune, & Statutarium esse debent, hodiernîs Jurisperitis illam maximè gentem risu excipientibus, quæ, Statuta, & Leges municipales condendo, voluit, ut in omnibus recuperatorii judicii controversiis *summariè, & de plano, sine strepitu & figura judicii, omnibus rejectis cavillationibus, & solâ facti veritate inspectâ* procederetur, quemadmodùm Statutum Bononiense Lib. II. Rub. *de vocatis in Jure* decernit. Hodie fortassis ægrè civitatem invenias, quæ non plures lites numeret, in annos & lustra

pro-

prorogatas, & denique etiam hæredibus transmissas. Quòdsi non nemo supplex Judices adit, ut tandem super negotio statuant, litigantes impensis identidem faciundis liberent, iisque metum, curarúmque fluctus, quibus suspensus animus jactatur, eximant; responsio illis promta est, & expedita: Procuratorum esse, causas expedire: & si fortè ambo Procuratores, vel sáltem unus illorum totus in eo est, ut lites vel nunquam finem sortiantur, vel quàm longissimè procrastinentur, illi nec mederi cogitant, nec consulere volunt. Jam certum, & exploratum est, nullam dari regionem, in qua non communis sit omnium vociferatio ac lamentatio, sumtuosam litium diuturnitatem, quæ in nonnullis tanto etiam opere sævit, ut non possit non omnibus stomachum movere, deplorantium. Verùm si hæc rerum conditio, ratio vult, ut Principes, ac Respublicæ huic malo remedium quærere pro viribus contendant; & siquidem aliud haud suppetit, in id summo studio incumbant necesse est, ut non Statuta duntaxat amussim serventur, sed etiam Principes ipsi, ac Respublicæ in derogandis Feriis sese faciles præbeant. Attamen consultius fore arbitror, si investigatum quoque irent, an non Statuta, nullum discrimen causam inter & causam faciendo, in

in hac materia nimiùm indulgeant. Si impeditiuś jurgium venit, quod testium examina, inspectionem, & leges desiderat, vel si ad alium Judicem remittendum est, aut ab aliis adjunctis, seu circumstantiis, quæ causam festinantiùs finiri prohibent, dependet, tunc enimverò tempus geminari, vel certè longius quàm in aliis non abnuam. Verùm ubi tota lis in re exigua vertitur, quo pacto nempe unius tantùm testamenti tabulæ, vel instrumentum interpretandum sit; eccur tantæ prorogationes, Siculæque gerræ? Et si omnis illa concertatio ad unicum punctum Legale deducitur; cur sententia tamdiu differtur? Profectò nemo inficias iverit, maximam causarum partem summatim, & sine strepitu, figura, & solennitatibus Judicii componi posse, quam judicandi rationem Viri altâ quadam mente, & sapientiâ præditi, quin vel ipsi Legislatores laudant, probántque: ea propter exputare non possum, quamobrem postpositâ hac brevi viâ, aliam eámque tam longam, ac penéæternam, non sine ingenti litigantium dispendio, eant. Varios hìc referre auctores possem, qui de hac, Rebuspublicis nimiùm perniciosa peste conquesti, miro adficiebantur desiderio, ut Principes mirificâ ingenii acie ornati eidem medicinam adhibeant: sed vel solius Con-

ringii,

ringii, multæ inter Germanos opinionis, verba recitâsse mihi sufficiat. Hic cladem illam in Germania æquè, ac Italia summè robustam, atque exitiosam manibus quasi tenens, Exercitat. VI. *de Judiciis Reipub. German.* in hanc sententiam scribit: *Omninò danda est etiam atque etiam opera, ut litium hæc multitudo & diuturnitas, quæ haud multò minùs perdit Germaniam atque vis militaris, emendetur. Quod ipsum fortasse poterit fieri, si in temerè litigantes omnes, & seorsim in litium patronos, gravissimis pœnis animadvertatur. Si Judicibus nihil ex partium sportulis aut muneribus sit expectandum; sed cogantur illi publicis stipendiis esse contenti. Si processus judiciarius ad priscam simplicitatem, qua tot Seculis floruit Germania, quæque in omnium veterum Rerumpublicarum optimarum Foris, in suis Hebræorum ab ipso Deo fuit probata, si non omni ex parte, saltem potiore, reducatur. Si postremo quæcumqne in controversiam trahi solent, singulis in locis, Legibus Plebi etiam, quoad fieri potest, perspicuis definiantur. Certè quamdiu omnia hæc in Germania sunt observata, Litibus nusquam laboratum fuit.* Ita Conringius.

Quantò plùs Jurisprudentia (quis non mire-

miretur?) florere credebatur, quia & insignium Jurisperitorum Consultis, & Legibus abundè instructa erat, eáque propter causæ faciliùs, atque securiùs decidendæ videbantur; tantò majoris difficultatis erat, easdem componere, eòquòd hæc ipsa Legum vis ad Judicum mentes è sua sede, & statu dimovendas, ad varia prætexenda, & ad decisiones, specie quærendi veri, prorogandas plurimùm conferebat. Ita fieri amabat, postquàm magna Jurisprudentiæ Lumina, & flumina, Papiniani, Pauli, Ulpiani, Modestini, Scævolæ &c. doctissimis litterarum monimentis Forum locupletârunt. Ita factum est, ubi sub Irnerii ævum Jurisprudentia Justinianea exul Ludis Bononiensibus postliminiò restituta est, & ubique gentium ac locorum Digesta, & Codices resonare cæperunt. Hanc ob causam S. Bernardus, qui sub initium felicis hujus restitutionis Legum floruit, ad Pontificem Maximum Eugenium III. scribens querebatur Lib. I. Cap. X. de Considerat. *Agitentur causæ, sed sicut oportet. Miror námque, quemadmodùm religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis.* Cùm verò illorum Doctorum consilia eò specta-

ſpectarent, ut callidæ eloquentiæ fuco, ac verborum lenocinio religionem, ſeveritatémque Juſtitiæ ſopirent, atque ſententias differrent, idem Mellifluus Doctor ſubjungit: *Illas, quas ad te neceſſe erit intrare cauſas, diligenter velim, ſed breviter decidere aſſueſcas, fruſtratoriáſque, & venatorias præcidere dilationes.* Quæ cauſa fuit, cur & Patres Sacri ac Oecumenici Concilii Tridentini, univerſalem hunc, & adeò deteſtabilem abuſum advertentes, curâ publici boni concitati, Seſſ. XXV. Cap. X. de Reformat. hoc decretum fecerint: *Admonet Sancta Synodus tam ordinarios, quàm alios quoscumque Judices, ut terminandis cauſis, quanta fieri poterit, brevitate ſtudeant, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.*

Fecimus paulò ante de Longobardorum Legibus mentionem. Meherclè nemo eruditorum Legulejorum eſt, qui non illorum barbarorum Seculorum, in quibus Italiæ Tribunalia ſecundùm illas juſtitiam adminiſtrabant, miſericordiâ moveatur, ſimul ac illas, civilibus Textibus cujusdam editionis adjunctas, viderit. Convenienter

ter hujus immanis, ac barbaræ gentis edictis, dicet non nemo, etiam judicia exercenda erant: eapropter O quàm calamitoſa, & ſcelerata illa tempora! quàm frequentes injuſtitias, non è malitia, ſed ignorantiâ earum Legum, quibus antiqua Romanorum ſapientia terrarum orbem, qua latè patet, ornaverat, natas, nonnulli cogitatione effingunt! Tantum equidem mihi haudquaquam ſumo, ut Longobardicas Leges cum Romanis conferam; auſim nihilominùs dicere, quòd paucis illis Legibus, ex bono, & æquo latis, quibus ſeſe accommodabant, quotquot in Italia de Longobardorum gente erant, vel eas Leges profitebantur, lites, & annoſa jurgia ad ætatis noſtræ invidiam compoſita fuerint. Tametſi autem illis Seculis tanta non ſuperbierit doctrinæ ſeges, quanta hodie; tamen & illa emunctæ naris viros tulêre, qui, quòd rectâ ratione nulli ex hodiernis cederent, ad cognoſcenda utriusque partis jura, ubi cognoſci poſſunt, longè aptiſſimi fuêre: quid enim in impeditioribus controverſiis facto opus eſſet, illa ætas tantundem ſciebat, quantum hodie inflati ſciunt Curiales. Ruſticus materiarius, naturaliter ſagax, paucis inſtrumentis melius ſcrinium conficiet, quàm alius Oppidanus multis quidem opificii ſui armis inſtructus, ſed

non

non eadem ſagacitate prædıtus. Secula, quæ nos barbara dicimus, & denſiſſimis ignorantiæ tenebris ſepulta, ac obruta fuiſſe credimus, eo certè ex capite noſtrîs fuêre feliciora, quòd Lites ſine tot ambagibus, ac dilationibus in menſes, & annos, expeditè, diremerint, nec litigantes ſenſim devoraverint, quemadmodùm fieri ſolet, poſtquàm Doctores noſtri in vaſtum Juſtinianearum Legum armamentarium ſeſe penitùs demersêre, ex quo rabulæ, & his quoque deterius genus, homines quidam ſcientes formularum, omnísque ad litigandum articuli copioſiſſimam protrahendis in annorum myriades litibus penum eruerunt.

Sed nunquid Seculis & ignorantiâ, & barbarie infamibus (dicet non nemo ſubridens) nobiles extitêre ſententiæ? Huic nihil moratus repono, illas his noſtrorum temporum tantoperè illuminatorum minimè inferiores fuiſſe, cùm etiam hodie diverſis modis intelligantur, & accipiantur. DEUS tibi bene vertat, hac quoque ætate dicimus, ſiquis judicio cum altero contendere vel ſuopte genio vult, vel ingratiis debet. Nec barbaris illis Seculis integri, prudentésque viri deerant, qui ex pauca-

rum Legum, tunc obtinentium, præscripto judicarent; & si quid discordiæ inter cives exarserat, rudis, sed beata simplicitas sine tot subtilitatibus, & sophismatis compescebat, quam viam ad inveniendum verum, & justum longè faciliorem fuisse arbitramur. Et quod plùs; id ævi litigantes minimùm molestiis suis subitò liberabantur, quod nostra tempestate vix speres. Quod dein ad numerum Advocatorum, & Procuratorum, ab acri ingenio, & scientiâ tantopere commendandorum, attinet, Problema foret, in Academia quadam discutiendum; an nempe Secula nostra ob hæc versuta capita priscis Seculis feliciora censenda sint? siquidem S. Antoninus Archiepiscopus Part. III. Summ. in hæc verba scribere non dubitavit: *Sine Causidicis satis felices fuerunt, futuræque sunt Urbes.*

Jam ad lineam: facilè credidero, non esse minimi negotii, securam, omnibúsque casibus accommodatam methodum ad moràs Justitiæ abrumpendas præscribere: nam in iis, quæ à factis dependent, in quibus Testes producere, & examinare, Æstimatores designare, positiones dare, & impugnare oportet, & præcipuè ubi de absentibus, vel variis, aut procul dissitis locis

cis agitur: de quibus controversia movetur; & sic in aliis id genus casibus certum spatium, quod omnium necessitati satisfaciat, constitui nequit: nec fas est, ut nimiæ festinationis causâ Justitia juguletur, aut opprimatur. Nihilominùs sapienti Principi cum prudentiorum Purpuratorum consilio id statuendum est, quod huic negotio proprium magis esse creditur, quàm minimâ tali curâ in potestate atque arbitrio Judicum relictâ; quia si ejusmodi provisio soli Judicum prudentiæ committeretur, plurimi eorum creditâ potestate in suæ fortunæ incrementum acerbè uterentur. Hermannus Hoffmann Opus in lucem edidit, hoc titulo notatum: *Commentaria in Octavianum Pisanum de Litibus abbreviandis.* Hunc Jurga Valentin Winther secutus Argentinæ anno 1613. Librum *de mediis abbreviandarum Litium tam generalibus, quàm specialibus* Luci dedit, quorum erudita opera in rem tuam optimè consules. Præterea Victor Amadæus, Sardiniæ Rex, ut causæ promtè ac ocyter componerentur, multas, eásque saluberrimas Constitutiones posteris transmisit: verùm quia iis, quorum animus ad æternas Fori gerras obduruit, visum est, nonnullos dari casus, in quibus justo arctiores termini Justitiæ constituti sint, observandum foret, an eorum

querelæ subsistant: nam si vel semel regulæ exceptiones permittantur, brevì ipsa regula ab exceptionibus suffocabitur. Antonius Faber, celebre Jurisconsultis nomen, Lib. IX. Titulo supra vigesimum tertio sui Codicis Fabriani temperare sibi haud potuit, quin immoderatam litium diuturnitatem deploraret, quæ pestis, cùm in omnes omninò Provincias, ac Regna bacchetur, omnium etiam Principum, quibus subjecti cives cordi sunt, curam exigit. Is ipse Faber dein medium suggerit, quòd, ùt ipse quidem existimat, usu exerceri posset: fatetur tamen, omnes lites, quantumcunque intricatas ac turbidas, intra trium, vel quatuor, aut etiam sex mensium spatia decidendas esse. Præprimis verò optabat, ut edicto sanciretur, ne ulli privatorum hominum litem movere liceret, nisi interpellato priùs eum in finem Adversario, ut causa electis Arbitris committatur: quòd si quis compromissum facere recusaverit, causâ dein ad Judices delatâ, seu victus, seu victor, ad restituendas, seu refundendas, & resarciendas impensas condemnetur. Lectorem plura hac super re scire cupientem ad dictum Librum remittimus. Interea in memoriam revocâsse juvabit, quòd certæ generales exceptiones, quas Doctorum malitia solùm ad procrastinandas lites

lites excogitavit, atque consuit; quales sunt *defectus rationis*, *error actionis*, *tua non interest*, *petis, quod intus habes*, *infirmitas*, *vulgò nullitas* &c. verbô: omnia ea Tribunalibus proscribenda forent, quæ tantùm eò faciunt, sine valida ratione otium ut nanciscantur. Nec occurrens nullitas Judici cunctationem injiciat, quò minùs Judiciariam telam pertexat, nisi fraus, vel læsio interveniat. Præcipuè autem cavendum esse arbitror, ut ne judicia protrahantur, ubi tota lis in unius testamenti tabulis vertitur. Certè (dicta satis dicere nequeo) fieri non raró posse haud diffitear, ut lis quædam longius tempus, & majorem juridicialem Ordinem exigat: verùm ubi de interpretanda mente, & voluntate hominis, in testamentariis tabulis contenta, agitur; tota causa paucis paginîs absolvi potest, solûmque restat, ut Judices illis chartæ philyris examinatis sententiam rogent. Concessô igitur Litigantibus vel ad contradictiones, vel ad allegationes formandas, & communicandas, vel ad informationes, moderato temporis spatio, Judices sine ulla dilatione, aut mora pronuncient. Ajunt, Supremam Pontificis Curiam (Rotam Romanam vocant) ad ambages, & ne-

faſtas Patronorum , & Procuratorum, huc atque illuc tergiverſantium , artes devitandas , ſine ſtrepitu , figura & ſolennitatibus Judicii mox decidere , ſimul atque ad ſententiam ſat liquet. Hæc ſi veritati conſentanea ſunt, magnâ profectò cum illis ſacris, ſummâ reverentiâ atque veneratione digniſſimis, Senatoribus lætitiâ, ac voluptate perfundor.



CAPUT

CAPUT XV.

De Præſcriptione, & Uſucapione.

ANtiqua *Præſcriptionis & Uſucapionis* Lex, quæ jam inde à Romanis Legibus ad nos pervenit, eo maximè nomine introducta, atque ſtabilita fuiſſe videtur, ut ne rerum dominia vel ſemper, vel longo temporis intervallo incerta ſint, litésque celeritate quanta fieri poteſt maximâ terminentur, vel planè reſcindantur. Idcircò annoſi Nomothetes ſtatuêre, ut poſſeſſio rerum mobilium, immobilium, ac jurium longo temporis ſpatio bonâ fide continuata, id eſt, ſiquis neſciat, rem eſſe alienam, vel ſacram, vel furtivam, vel fiſci, juſtam dominii acquiſitionem producat, ita quidem, ut Poſſeſſor Uſucapionis, ſeu Præſcriptionis exceptione ſe contra omnes quotquot ipſum poſſeſſione deturbare volunt, defendere poſſit. Ad præſcriptionem præterea noſtri Jureconſulti *juſtum titulum* requirunt; ſed quo id fundamento, ſanè neſcio: quotiescunque enim quis poſſeſſionem longi, vel longiſſimi temporis non interruptam, nec impugnatam, *bonámque fidem* probaverit, hæc bona fides juſtum titulum, qualis eſt emptio-

nis, donationis, legati, & hujusmodi, involvit. Et si distinctam hujus *Tituli* obligationem fundârunt. *l. 4. de Præscript. long. temp.* in qua habetur: *Diutina possessio tantum jure successionis sine justo titulo obtenta, prodesse ad Præscriptionem hac sola ratione non potest:* videndum est, an hæc Lex requirat, ut præter *longi temporis possessionem*, atque *bonam fidem justus titulus* allegetur. Meâ quidem sententiâ id nequaquam opus est: illa enim verba *sine justo titulo* non ad Præscriptionem, sed *successionem* referre oportet. *Successionem* autem, siveHæredis titulum dixeris, justum esse titulum,quo legitima rei cujusdam possessio probetur, unum è primis Legalibus principiis est. Quo igitur pacto quis dixerit, quòd *jure successionis* possidentem *justus titulus* deficere possit? Illa ergò Lex nihil aliud significat, nisi Successionem *sine justo Titulo*, quæ non solùm ab Interpretibus eapropter *putativa*, *&* *non vera* appellata est, sed etiam ex Legislatorum mente ad Præscriptionem minimè sufficit. Cæterùm ex quo continuatio longæ, vel longissimæ possessionis, cujus nec principium, nec res possessa vitiosa sit, probari potest, Præscriptio obtinet. Hanc ob causam ista distinctio *justi tituli*, ac *bonæ*

bonæ fidei superflua esse videtur, cùm hæc dari nequeat, nisi Possessor justum quoddam possessionis suæ Principium alleget, ùt sunt hæreditas, emptio, & id genus.

Jam hisce nostris temporibus observare licet, quò hic modus rerum mobilium, & immobilium acquirendi dominium, quem antiquitas non modò ad incerta dominia, & frequentes lites tollendas, sed etiam ad castigandam mortalium in conservandis rebus suis negligentiam stabiliverat, spectet. Tot exceptiones, limitationes, excusationes, restitutiones *in integrum*, aliáque media (statuendo huic certos annos, & illi plures, aptum tempus ad præscribendum, exigendo, ut Adversarii & sciant, & ferant) sunt inventa, ut in controversiis super rebus mobilibus juxta ac immobilibus Præscriptio quidem in Judicio prætendi possit, sed non sine præsentissimo discrimine causâ cadendi, cùm non ampliùs usu & consuetudine receptum sit, hac ratione rem acquirendi, quam alii jure sibi vindicare contendunt. Denique vix centenariam Præscriptionem, ac immemorialem possessionem, quas tamen fortissimos hujus materiæ aggeres meritò dixeris, tueri possunt. Et en! quî hodierna

Jurisprudentia antiquum decretum, quod in publicum commodum collineabat, quasi funditùs eversum eat, tantúmque velit, ut illud rerum chaos, ac infinita penè Litium multitudo grassetur, quam sapientissimi quique Imperatores è toto terrarum orbe eliminare, atque extirpare summoperè adlaborârunt. Et quod pejus est, levissima quæque causa miseram Præscriptionem, quæ olim tanto in pretio erat, in hodiernis Tribunalibus Subvertit. Eminentissimus Cardinalis de Luca fatetur, quòd *ubi etiam omnia requisita secundùm diversas species, aut qualitates Præscriptionum, vel rerum, vel jurium, de quibus agitur, verificantur; tot tamen evadendi viæ restent, ut hoc medium raro conducat, atque omnibus suis numeris & partibus perfectum expletúmque sit.* Hæc hodiernæ Jurisprudentiæ causâ dixisse velim, quæ, dum amplissimis verbis Romanas Leges effert, easdem postmodùm factis evertit, ac destruit. E Republica certè facturi essent hujus tempestatis Principes, si stabilem quamdam regulam, ac normam ex æquitate talîs materiæ præscriberent, ut Præscriptio, optimis fundamentis introducta, & à Legibus etiam Canonicis comprobata, propugnetur; eos saltem casus, qui usu potissimùm vigent, (omnibus, quotquot fieri possunt, pro-

prospicere adynaton est) determinando, quin in Curialium potestate, & arbitrio posthac situm sit, præclaras Majorum nostrorum Leges pro libidine sua perrumpere, quòd non modò Legislatoribus ipsis & doctrinâ & prudentiâ longo intervallo se præstare, sed etiam Leges novas, illisque contrarias, qui solùm eas jubendi auctoritate pollent, condere posse autumant. Profectò si ad obtinendam *restitutionem in integrum* contra allegantes Præscriptionem omnibus suis numeris absolutam ignorantia sufficit; Leges omnes, quæ de Præscriptione loquuntur, perfringi atque tolli possunt. Agedum quotusquisque privatorum est, qui, rem suam sub alterius manu esse non ignorans, & velit, & possit tacere? Plerumque nemo unus. Eapropter omnes ignorantiam causari, ac quamcunque Præscriptionem evertere possunt. Reapse sæpenumerò hac ætate auribus nostris hæc vox allabitur; *Præscriptio non currit contra ignorantem*; quæ propositio meherclè parùm laudis habet, cùm idem dicat, ac nullam dari Præscriptionem. Verùm qui usum præscribendi præcepit (præcipit autem illum & Jus Canonicum, & Civile) minimè ignorabat, in istis casibus ùt plurimùm ignorantiam concurrere: & tamen nullâ ejusdem ratione habitâ, eam nec juri præscri-

scribentis oppositam esse voluit, nec conditionibus, Præscriptionem impedientibus, annumeravit. Is enim solus, qui totum terrarum orbem litibus distentum videre cuperet, hujusmodi media in apricum protulit, religioni sibi haudquaquam ducens, Præscriptionem impium inventum, & veram iniquitatem, contra ac omnis Sapientûm chorus sentit, appellare, cuja nihil refert, rerum dominia perpetuò incerta esse, eique lacrymas exprimi, qui rem bona potissimùm fide comparatam præscripto à Legibus tempore possedit, ut per tot annorum spatium nunquam cogitanti, jus sibi in illam esse, hepar moveat. Enimverò si ignorantiæ vicem tantoperè dolere deberemus, nec centenaria præscriptio admittenda foret, cùm pro hac eædem non minùs imaginationes, & ideæ æquitatis, vel Justitiæ militent.

Hìc jam rerum ordo postulat, ut & de Fideicommissis, ac censibus pauca disseramus. Si Doctores nostros audimus, nulla contra illos Præscriptio datur: summùm aliqui eorum concedunt, à centenaria duos hosce formidolosos Encelados affligi posse, ita, ut si quis fundum quinquaginta, sexaginta, & plures annos bonâ fide possedit, instrumento fideicommissi, vel præcedentis cen-

sûs

sûs in lucem emergente, illo cedere, sortémque censûs solvere oporteat; ad fructus enim quod attinet, moderatio adhibita est. Sed in quibus antiquorum vel hodiernorum Monarcharum, aut Principum Edictis, ac Legibus amplissima hæc Censuum, & Fideicommissorum privilegia reperire licet, ut Præscriptio, & Præscriptio longè minor, quam debitis requisitis instructam videas, in illa nullam habere vim vel possit, vel debeat? Certè Præscriptione, à Legibus cùm Canonicis, tum Civilibus confirmatâ, tantùm contra illum utimur, qui probare potest, rem per longum, aut longissimum temporis spatium, & bona fide, ab aliis possessam, ex justo quodam titulo sibi deberi. Si Leges ac Principes, qui easdem stabilivêre, revereri, atque suspicere velimus, jus suum in ejusmodi rem asserenti per Leges minimè prodesse debet, quòd instrumenta, vel testamentarias tabulas proferat, rationem comprobantes, eandem tanquam juri suo detractam repetendi, simul atque contra exceptionem Præscriptionis, illas chartas suas pessumdantis, agit. Eccur rancido Testamento, è quo Fideicommissum oritur, tanta vis insit, ut Possessorem prorsùs omninò illis decisivis armis exuat, quibus eum Lex ipsa instruit? Iniquitas est, ad id fideicommis-

sum

sum vocatum, re sua spoliare velle. Sed hæc iniquitas, si ita appellitare placet, in quacunque, ùt diximus, Præscriptione verificatur; & tamen Principes, hoc insuperhabito, suam Præscriptioni virtutem subesse cupientes, eandem nequaquam iniquam esse arbitrantur; quia ubi publicum commodum agitur, nulla privatis fit injuria, pollétque Princeps, ùt aliàs memoravimus, potestate, omnia fideicommissa sine ulla religione abrogandi; eaque propter credi potest, eundem in comparatione probè fundatarum Præscriptionum etiam illis, quemadmodùm aliis justis dominii titulis, robur suum ademisse.

Quod dein ad *census* attinet, haud diffiteor, nullum eos inter, & fideicommissa intercedere differentiam, ac dissimilitudinem. Hæc enim ab aliis possessa, semper jure sibi vindicare potest, ad illa juridico more vocatus, ita, ut ea tempore, quod certum lex signaverat, non repetens sibi ipsi obsit, quia contra illum Præscriptio prætendi potest. Cùm autem Proprietarius Censûs sortem repetere nequeat, videtur, silentium eidem haud fraudi esse posse. Solùm quantùm *ad fructus* sibi officere potest, si longo, vel longissimo tempore eosdem exigere neglexerit. Nihilominùs ubi

appa

apparet, quadraginta, quinquaginta, vel sexaginta annis neminem unquam fructus censûs petiisse, neminem eos solvisse, bonámque fidem in eo concurrere, qui censu gravatus est; omnibus votis expetendum foret, ut docti æquè ac partium immunes, publicique commodi amantes Jurisperiti examinarent, quam ob causam Præscriptio etiam contra sortem principalem locum non habeat. Cencius, qui præ aliis hoc argumentum magno emolumento pertractavit, Quæst. CXVII. cum pluribus Auctoribus censet, censum præscribi posse, eo potissimum nomine, quòd, cùm census nihil aliud sit, quàm Jus reale percipiendi annuam pensionem, hoc Jus quadraginta annorum spatio Præscriptioni obnoxium est, dummodò ne mala fides illi remoram faciat. Dicet fortassis non nemo: Si sors peti non potest, per regulam juris Præscriptio contra eum non datur, qui creditum exigere, atque jura sua exercere nequit. Verùm huic repono: Si vera sors peti nequit, fructus certè annui repeti, & contra morosos debitores, qui diem ex die ducunt, hypotheca adhiberi potest. Jam si Censualista longissimo tempore nec pensiones annuas exigit, nec Jus suum, nec actiones, quæ ipsi competunt, exercet, per non usum hujus Juris ad Usucapionem,

&

& Præscriptionem aditum aperit, quæ ex mente Doctorum, vim habet, Servitutes, Hypothecas, & alia realia Jura, è quorum numero etiam census est, extinguendi. Ad hæc si triginta aut quadraginta, multóque magis si quinquaginta aut sexaginta annis nec Censuarius fructus solvit, nec Censualista eosdem sibi solvi petiit, tam fortis inde Præsumptio nascitur, censum esse redemptum, vel extinctum, ut, si jus suum in censum asserens tam diuturni silentii, convincentes rationes non adferat; quales forent absentia, incendia, & alia id genus mala, minimè audiri mereatur: siquidem sine ejusmodi argumentis credi haud potest, quemquam creditorum suorum exactionem, ac jurium suorum usum tantoperè esse neglecturum. Præscriptionem æquè ad castigandos negligentes introductam esse, Doctores unanimi calculo adfirmant. Usus dein, & experientia nos docet, secundùm hodiernorum doctrinas in Censuarios, qui ampliùs sexaginta annorum curriculo pensiones non solverunt, quòd instrumenta extinctorum censuum palàm facta sunt, sententias esse prolatas. Jam sine ejusmodi etiam instrumentis sola paulò ante dicta Præsumptio ad excludendam actionem, elapso tam longo temporis intervallo fundationem census in medi-

medium adferentis, vim legitimæ exceptionis, & argumenti habere debet. Quòd siquis diceret, etiam negligentiam, in non conservandis extinctorum censuum instrumentis admissam, pœnâ quoque dignam esse; respondebimus, non eandem inter utramque partem esse conditionem, qui enim nomina exigere debet, de more in id animum intendere solet, ut rationes suas recenti memoria teneat, sibique satisfiat; qui verò æs alienum dissolvit, negotiúmque composuit, haud ampliùs animo agitat; &, siquid ego judico, excusari potest, si instrumenta vel illi, vel hæredibus quodam fortunæ ludibrio diminuantur, aut penitùs pereant. Præterea in id genus casibus ad extinctionem Censûs probandam Instrumento haud opus est, per *L. longi temporis possessione munitis, Instrumentorum amissio nihil juris aufert. Cod. de Præscript. long. temp.* sed sufficit, siquis Præscriptionem adferat, ut pro vera sorte satisfecisse censeatur. Quòd deinde in præscribente *bona fides* concurrere debeat, omninò ex æquitate esse creditur; quemadmodùm secundùm Legem Canonicam etiam par est, ut *mala fides* Præscriptionem evertat, & destruat, ut hoc pacto peccatum devitetur. Verùm isthæc mala fides

in nullo præsumitur, sed eandem opponenti, atque asserenti onus probandi incumbit. Nec ad eam probandam dubia, suspiciones, ac præsumptiones sufficiunt; sed vera argumenta, atque solidæ probationes requiruntur. Quòdsi quis etiam in primo Usurpatore malam fidem demonstret, hunc defectum sine injuria in Usurpatoris hæredem nequaquam transfundere potest, dum etiam in eo vera, atque expressa malæ fidei, rem illam in ipsum transferentis, scientia probetur. Præsumptio naturalis hæredem satis supérque defendit; eáque propter à justo aberrant, quotquot illum tanquam callidum veteratorem, hominémque nequam sine veris argumentis condemnare volunt; & si primus Præscriptionem inchoare nequiit, eandem hic alter non modò inchoare, sed & complere potest, quamdiu in hunc nullum urgens argumentum pugnat.



CAPUT

CAPUT XVI.

De Creditorum Concursu.

MAteriem hanc oppidò impeditam, ac intricatam esse nemo inficias iverit, adeò, ut non immeritò Franciscus Salgado, qui eandem *ex professo*, deditáque operâ, pertractavit, hunc Libro suo titulum præposuerit: *Labyrinthus Creditorum*. In ejusmodi occasione non solùm Creditores contra debitorem vivum, aut mortuum, sed etiam ipsi inter se acerrimè decertant. Et hîc grandem quoque discordiam, & pugnam inter Civitatum Statuta, inter populorum consuetudines, ac Doctorum opiniones videas. Observemus, quæso, quid æquum, quidve sit iniquum. Instituto hoc genus concursu & naturali, & civili rationi summè consentaneum esse videtur, ut inter Creditores præferatur, bona, quæ mancipi sunt, repetens; qualia esse censentur immobilia in dotem data, vel etiam fideicommisso subjecta, si debitor è vivorum

contubernio emigraverit: ſin; eorum uſusfructus, dum ille hac luce fruitur, Creditoribus competit. Easdem primas non ſolùm venditori, qui hypothecam, vel jus dominii in rem venditam ſibi reſervavit, dum integrum ejusdem pretium ſolvatur; ſed etiam illi dare oportet, qui rem in manus debitoris depoſuit, vel eandem ſibi furto ablatam eſſe probat. Exploratum habemus, *Rei vindicationi* majorem ſubeſſe virtutem, quàm cæteris omnibus actionibus perſonalibus, & hypothecariis; omníque dubio vacat, Creditoribus è bonis Debitoris, & non alterius ſatisfaciendum eſſe. Humanitas quoque, & chriſtiana charitas vult, ut impenſæ, in ægrotantis debitoris medicamenta, atque exſequias factæ, ſolvantur. Nihilominùs ex æquitate eſſe creditur, ut Liberi, vel uxor aut Parentes illius defuncti, qui creditoribus decoxit, ex bonis propriis ea omnia, quæ ad exſequiarum pompam ſpectant, ſi ipſi eandem volunt, ſolvant; nec id onus Creditoribus, quos inter fortaſſis etiam profligatæ fortunæ gentem reperias, quæ ante debitoris obitum bonorum jacturam incurrit, imponendum eſſe exiſtimo: Quamquàm dein fieri nequeat, optandum tamen foret, ut ejusdem farinæ decoctores, ad aliorum terrorem, atque in pœnam iniquitatis ſuæ, poſt fata

ſine

sine omni celebritate ac pompa, quemadmodùm Proletarii, ac mendicantis fortunæ homines solent, terræ mandarentur. Videndum porrò esset, an etiam famulos, ac domesticos defuncti ex non soluto manupretio præferre oporteat, quod nonnulli, opiniones suas pro dictatoria, quam usurpant, potestate instar Legum haberi cupientes, asserere minimè dubitant. Sed res hæc in quæstionem vocatur: fieri enim vix potest, ut creditum eorum tam expeditum, certum, & liquidum sit, sicut instrumenta exhibentium, quos ejusmodi opinio postponit. Hoc autem concesso, multò magis eos quoque præferendos esse censeo, qui Debitori victum & vestitum præbuêre, quod tamen in Foro nequaquam approbatum reperio. Jure dein optimo Leges in concursu illum omnibus potiorem habent, qui pecuniam, vel materiam instaurandis, & reficiendis domibus, navibus, aliisque rebus Debitoris aptam suppeditavit, quæ postmodò ad solvendos Creditores facere debent.

Legibus quoque æquissimo jure cautum est, ùt in Concursu Instrumenta exhibentes Chirographariis præferantur, cùm certa incertis prævalere debeant; id autem Leges liquidum, & certum esse existimant,

 quod

quod Tabellionis fide confirmatum est, dum privata monumenta anticipationibus, & aliis fraudibus, ac technis obnoxia sunt. Similiter expressam aut tacitam hypothecam in Debitoris bona habentes iis anteponuntur, qui ejusmodi instructi non sunt: sed hac super re non paucas controversias, & sententias in Libris reperias. Siquidem, siquis chartam tribus bonæ opinionis testimoniis cum expressa hypotheca firmatam habeat, Socinus aliique adfirmant, hanc, cùm sit prior tempore, publico Instrumento anteferendam esse, aliis idipsum negantibus. Dein acriter controvertitur, an tacita hypotheca cum expressa sit comparanda; an specialis generalem superet, & sic de aliis. Pluribus me non diffundam, dixisse contentus, me haud scire, an æquitati consentaneum sit, vel an è Republica faciat, diversis aliis Creditorum speciebus, quas Rodriguez in Tract. *de Concursu, & privilegiis Creditorum*, Salgado, Carpzovius, Acosta, Berlichius, aliique referunt, tot tantáque privilegia concedere. Profectò haud ex æquitate esse videtur, omnes, quotquot expressâ hypothecâ sunt instructi, anteponere velle; certúmque est, quòd multæ Provinciæ talem privilegiorum profusionem non admittant, quæ solùm privati Doctores, pro re nata

nata non raro aſſentatores, conceſ-ſêre.

Jam pervelim, ut eruditus Lector diligentius mecum excutiat, an Juſtitiæ regulis conſentaneum ſit, ut Fiſtus, & ſequioris ſexûs dotes hic immunes eſſe cenſeantur. Spectat, haud diffiteor, ad Jus Gentium (Jus & Legibus Civilibus, & Statutariis fortius ac Superius) ut pacta conventa, inter cives bonâ fide in pactionibus per Leges approbatis ſtabilita, ſanctè ſerventur. Hanc veritatem ipſe Juſtinianus, qui eandem ab Ulpiano *l. Juris Gentium ff. de Pactis* mutuatus eſt, agnovit. Et ſanè humanæ ſocietatis plurimùm intereſt, hæc pacta conventa ſarta tecta, ùt ajunt, ſervari; nec Principes ea penitùs reſcindendi, vel pro libidine ſua violandi ſecundùm *L. digna vox C. de Legibus* auctoritatem poteſtatémque ſibi attribuunt, dummodò potentiſſimum argumentum non interveniat, quale foret publicum commodum, vera, & non ficta, atque juſta alterius voluntatis interpretatio, quòd in pactionibus obligare noluerit, quemadmodùm ex donatione colligere licet, quæ ſupervenientibus Filiis deſtruitur. Jam Cives quot diebus licita, & legitima pacta inter ſe ineunt, atque ſtipulatione expreſſam hypo-

thecam, id eſt, tam forte, & efficax jus in illorum bona ac fortunas acquirunt, ut illa bona ipſis oppignorentur, ipsique primo Poſſeſſori, vel eorum Emtori, his etiam invitis, illa auferre poſſint. Jam quis potentem adeò ſive utilitatis, ſive publicæ neceſſitatis rationem in medium adferet, ob quam contractus, & pactiones à Jure Gentium æquè ac Civili probatas reſcindere, atque obligationes à debitoribus, vel venditoribus convenienter Legibus in bona ſua impoſitas, & Sacramenti fide confirmatas deludere licitum ſit, ita quidem ut illis, tametſi tempore prioribus, tacitam, vel expreſſam Dotium, & Fiſci hypothecam præferre oporteat? Certè nemo unus, ſi rem candidâ, & accuratâ mentis trutinâ examinaverit. Si quis fortè diceret, in publicum commodum redundare, ut mulierum dotes conſerventur, nec pereant; is equidem rem diceret, cujus tamen in præſenti caſu nulla habenda eſſet ratio: ſiquidem idipſum de Jureconſultis, Medicis, aliisque litteratis Viris, de Negotiatoribus, Militibus, Opificibus & Ruſticis dici poſſet, Reipublicæ etiam magnoperè intereſt, ut his facultates, ac fortunæ ſerventur, nec eripiantur. Quòdſi in Reipublicæ commodum vergit, ut Dotes ſalvæ ac illæſæ maneant; non utile duntaxat, ſed etiam neceſſa-

cessarium est, ut cuique jus suum sartum tectum servetur; nec ulla ratione permittendum est, ut posterior ereptum eat, quæ prior circumspectione, & prudentiâ suâ cum Legum approbatione acquisivit. Hæc sunt prima Justitiæ, humanæque societatis principia. Et quemadmodùm iniquum, ac impium foret, alteri prædium suum per vim rapere, ídque mulieri eo consilio dare, ut ne sit indotata: ita summè injustum, ac improbum esset, aliis jura sua, Privilegia, ac primas, legitimâ stipulatione obtentas, priusquàm Dotes formatæ essent, auferre velle. Auferre, inquam, bona, quæ considerata rerum veritate non amplius debitoris erant, ubi Dos ei soluta fuit, sed priorum Creditorum, qui expressis suis hypothecis illa absorbuerant. Maximè verò quia aliis mulieribus, ac tenuioris fortunæ familiis, quæ tamen meliore jure sibi ea vindicarent, grave damnum infligi posset, si Dotes essent præferendæ: adhæc non nescimus, Dotium confessiones non paucis fraudibus obnoxias esse; & si immunes forent, maritis ansa præberetur, priores suos Creditores circumveniendi, id est, iisdem nocendi. Quare tametsi ingens Jurisperitorum agmen apud Merlinum *de Pignoribus* Lib. III. Tit. III. Quæst. 66. & 67. & apud Berlichium P. I. *Conclus.* LXV. atque in aliis

S 5 Libris

Libris in arenam descendat, Dotésque etiam illi, qui credita sua priore expressâ hypothecâ muniit, præferat, asserens, Imperatorem Justinianum id apertè statuisse: nihilominùs cum mox dictis Scriptoribus alia innumerabilis ferè Jurisconsultorum (de his impræsentiarum meminisse supervacaneum existimo) turba pugnat, qui Dotibus ejusmodi Privilegium negantes, Justiniani Leges alio longè modo interpretantur. Antonius Faber, qui communi ab omnibus ore ævi sui Papinianus audiebat, ubi Lib. VII. *Conjectur.* Cap. XVI. & Lib. VIII. Cap. XI. mentem, ac sententiam Justiniani mulieribus favere credidit, pòst haud multò Lib. VIII. sui Codicis Tit. VIII. Defin. XVI. *Privilegium hoc apertissimè iniquum* vocat, addens alio etiam in loco, *Justinianum plus æquo mulieribus favere voluisse; ejúsque constitutiones novas & correctorias non semel à juris & æquitatis ratione dissentire.* Id quod & alii animadverterunt, eòquòd celeberrimus Imperator, ea tempestate sequioris sexûs blanditiis, atque formæ gratiâ captus, in transversum actus esset. Reapse plurima, fortassis etiam omnia, Italiæ Tribunalia tale privilegium Dotibus mulierum contra eum negant, qui expressâ anteriore hypothecâ gaudet; huic pariter sententiæ Theologi Morales subscripsêre,

ſêre, quos inter præ aliis Caſtropalao Tract. XXXII. Diſput. I. Punct. XVIII. videatur.

Nec Fiſcus meliorem obtendere rationem poteſt. Quòd ille aliis Creditoribus, etiam expreſsâ hypothecâ munitîs, præferri petat, ubi de publicis tributis, penſionibus, gabellis, & contributionibus etiam extraordinariis agitur, aliis Creditoribus id in grave damnum haud cedet, ſi modò Fiſcus hoc privilegiô debitâ moderatione utatur. Cùm in ſingulos annos tributa ſolvere oporteat, dummodò Principum Purpurati ea, ſaltem duorum annorum ſpatio, exigant, quemadmodùm pro officii ſui ratione facere tenentur, ſumma crediti Fiſcalîs aliorum Creditorum negotia nunquam perturbabit. Quòdſi Fiſcus, debitoribus gratiam facturus, vel officium præſtiturus, aut negligentiâ ſuâ plurium annorum curriculo tributa exigere diſtulerit, & poſthac conniventiam, vel incuriam ſuam in præcedentium Creditorum damnum vertere voluerit, aures eidem nequaquam præbendæ erunt. Maximè verò ex quo inclytos Juriscônſultos videas, qui nullam Fiſco prærogativam concedunt, probántque, nullam etiam eidem concedendam eſſe, ùt in Additament. ad Rodriguez *de Concurſu*

&

& Privilegiis Creditorum. P. I. Art. II. num. XIX. In aliis deinde pactis & Fisci Contractibus rationi prorsùs omninò repugnaret, si tacitæ vel expressæ hypothecæ ejusdem Fisci tanta vis ac virtus tribueretur, ut expressam priorum Creditorum hypothecam everteret. Judicant perspicaces, & summi consilii Viri, etiam Fiscum Juri communi insistere debere, ut Pellegrinus de Jure Fisci Lib. VI. Tit. I. & II. Merlinus de Pignoribus Lib. III. Tit. III. Quæst. LXXXVII. & Berlichius Conclus. LXV. num. CXIX. demonstrârunt, longum Auctorum, eidem sententiæ subscribentium, Catalogum referentes. Verùm fortassis Italia nullum Tribunal habet, quod tam amplam Fisco prærogativam tribuat. Non mihi latet, quas Leges nonnulli in Fisci gratiam citent, quantúmque ab aliis ejusdem privilegia commendentur, quæ, si Francisco Lucano in Tract. *de Jure Fisci*, qui Tomo XII. Tractatus Tractatuum habetur, fides adhibenda, minimùm ad centum supra quadraginta excurrunt. Temperare mihi haud possum, quin exclamem: *O Adulatores iniquum genus!* Ecastor vellent isti, ut potentia rationis locò haberetur. At si bonorum Principum est, pro sua, qua pollent, Auctoritate ac potestate impedire, ut nullus alteri injuriam, vel damnum inferat;

rat; quis credet, eosdem ſibi fas eſſe exiſtimare, quod in aliis damnant, & ſuppliciis coërcent? Nolunt certè Principes Chriſtianorum ſacris imbuti duobus Imperatoribus tenebris gentilitatis oppreſſis, Trajano nempe & Marco Aurelio, concedere, quibus mos in Judiciis nunquam Fiſco favere. Quare Plinius junior de priore dicere non dubitavit: *Quæ præcipuè tua gloria eſt, ſæpe vincitur Fiſcus, cujus mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub Principe bono.*

Creditores nunc audiamus, viſum, an cum Juſtitia conjunctum ſit, eosdem adigere, ut bona, ac fortunas Debitoris in æſtimationem accipiant. Notiſſima omnibus eſt Authentica *hoc niſi debitor C. de ſolutionibus*, qua Juſtinianus ſtatuit, ut, Debitore aurum, aut pecuniam numeratam non habente, Creditoribus res ejus addicantur. Id ipſum fermè Lex Julia priùs ſanxerat, quæ non minùs laudum præconiis, quàm chriſtiana manſuetudine, ac Caritate digna eſt, ut ne ære alieno preſſi, dum eorum fortunæ ac facultates Creditoribus cedunt, in Jugurthæ Tulliano, aut Albâ Perſei, aut alio carcere ſine ullo Creditorum commodo marceſcant. Eapropter plurimi Legum Interpretes unanimi conſenſu aſſerunt, nullo facto diſcrimine,

mine, quòd cuilibet Creditorum res Debitoris in solutum dandæ sint; quin & addunt, ejuscemodi privilegio renunciari nequaquam posse. Quamquàm hoc minimè agam, ut pias christianæ Charitatis artes, & inventa reprobem; nihilominùs duo hominum genera observanda esse censeo. Primum eorum est, qui non suâ culpâ, sed vel temporum injuriâ, vel aliîs fortuitis calamitatibus æs alienum contrahunt, quin eidem solvendi sint. Alterum illorum, qui vel per pecuniarum effusionem, vel per luxum, vel luxuriam, aut alia vitia in magnum æs alienum incidunt, & suâs, & aliorum facultates genialiter dissipando, ac degulando; & tametsi non nesciant, eos solvendo haud esse, tamen cum hac incauta gente negotiantur, & hac ratione aliorum fortunæ placidissimè devorantur. Nemo sanè inficias iverit, priores dignissimos esse, qui non modò quemlibet ad misericordiam adducant, sed etiam meritò Legum immunitate, ac indulgentiâ gaudeant. Quod autem ad posteriores tricongios Asotos attinet, quodnam grave discrimen hos veteratores inter, & Autolycos alienarum rerum, aut pecuniarum fures intercedit? Pontifex Maximus S. Pius V. ac Jus Civile statuerunt, ut in eos tanquam in fures gravissimis pœnis animadvertatur. Nec fas est, ut

ut hæ facultatum voragines ullo Legum privilegio gaudeant, ne & aliis, id genus fraudes, ac delicta committendi, alas, animósque addant. Videndum porrò, an æquum sit, ut iis, quòd à nobili avorum serie trahant sanguinem, alimenta servare oporteat. At genere illustres esse desiêre, simul atque præstigiis, & clandestinis consiliis operam dederunt: eccur hi Apicii etiam Creditorum impensis pollucibiliter satientur, ac adjiciali saginâ farciantur? Cardinalis de Luca nec Clericos, nec Sacerdotes hujus privilegii participes esse vult, cùm priores vestem exuendo victum sibi comparare queant; posterioribus verò pecunia, quam Sacris operantes colligunt, sufficere debeat.

Oportet dein Debitores, quibus etiam à rerum creditarum solutione semper quidpiam restat, ab illis distinguere, qui tantoperè alieno ære obruti sunt, ut ne quidem omnium bonorum cessione cuncta vulnera sua persanare possint. Quod ad primos attinet, profusissimam non modò indulgentiam, sed summam etiam iniquitatem esse censeo, eosdem ad bonorum cessionem admittere, quin pacta conventa, cum Creditoribus suis sancita, sanctè, & ex asse servare cogantur, obligando etiam hos,

hos, ut vel inviti, & cum gravi jacturâ illorum facultates in æstimationem accipiant. Nec opus est, ut litterali Legum sensui tam anxiè, Judaicæ gentis in morem, insistatur, sed Legislatorum, quos ab omni cupiditate remotissimos juxta ac summis ingenii ornamentis præditos fuisse credere oportet, mens cumprimis consideranda venit. Verùm eorum mens nunquam esse potest, ejusscemodi privilegium concedere, quo Debitores cum Creditorum damno emolumentum capiant. Quòd bonorum cessio concedatur, ut hoc pacto carceris molestia devitetur, bene habet; minime tamen illi concedenda videtur, qui parte bonorum cedere, alterâ sibi retentâ, sicque pacta præsenti pecuniâ solvendi deludere cupit. Si cum æquitate minimè congruit, ut Creditor, quemadmodùm Doctores unanimi consensu apud Calvinum Lib. CXI. Cap. CCXXXI. *de Æquitate* asserunt, cum Debitoris detrimento lucrum reportet, quamob causam non etiam reprobetur, quòd Debitor cum Creditorum suorum damno lucrum quærat? Natura & ratio correlativorum est eadem. Illas igitur duntaxat personas ad bonorum cessionem admittendas esse arbitror, quæ inopiâ vexantur, id est, *quarum facultates Creditoribus non sufficiant*, ùt post supremam

mam Pontificis Curiam, aliásque Scanarolius *de Visit. Carcerat.* Lib. CXI. §.IX. posteris scriptum reliquit. Suffragante eodem Calvino Lib. CXI. Cap. CCLXIII. Creditores Mediolani per novas Constitutiones bona Debitoris, *justo* priùs *pretio* æstimata, in æstimationem accipere vi obstringuntur: hoc autem insuperhabito Senatus Mediolanensis nonnunquam ab hac Lege discedit, Debitores adstringens, ut numeratâ pecuniâ solvant, *quando scilicet Debitor est dives, contra Creditor pauper*, atque in aliis etiam casibus. Id genus decisiones meritò equidem eximiâ ab omnibus laude ornantur; nihilominùs magna me ejus rei tenet admiratio, quòd pecuniarum Creditores non in omnibus casibus ab onere, Debitoris facultates in æstimationem accipiendi, eximantur, ubi huic alia bona supersunt, & is venditis suis facultatibus promtâ pecuniâ solvendo est. Innocentem pœnâ adficere, atque damnare velle, ut ne detrimentum, imò utilitatem is capiat, qui jure optimo id damni accipere debebat, quòd sub idem tempus pactiones & bonâ fide initas, & sacramenti religione firmatas, & à Legibus approbatas rescidit, atque arbitrio suo modum alterius rebus statuit, vestrâ pace rem absurdam, ac Edi-

ctum Æquitati contrarium dixerim. Creditor ſanè nunquam in eam cogitationem incidit, ut in illa pactione, quam conflâ-rat, fortunas, & ne quidem Debitoris emeret, ſed ut præſenti ære ſibi ſatisfiat: quo ergò jure Creditor cogetur, ut invitus Debitoris facultates adipiſcatur? Debitor poteſt, & debet illa prædia, ac villas periculo ſuo vendere; ſiquidem par eſt, ut damnum, ſi quod ex venditione emergeret, in eum redundet, qui non ſolùm ſacramenti religione ad ſolvendum numeratâ pecuniâ ſeſe adſtrinxit, ſed etiam fidem dictis ſervare poteſt: nequaquam autem fas eſſe cenſeo, ut is damnum faciat, qui nihil aliud requirit, niſi quod per antecedentem legitimam pactionem ei de jure competit.

Quod dein ad alios Debitores attinet, qui omnibus bonis ſuis eo maximè nomine cedunt, ut inter Creditores dividantur, & quibus omni ære alieno, vel parte ejusdem diſſolutâ nihil de patrimonio, quo ceſſerunt, ſupereſt; attento animo obſervandum eſt, quòd factâ mox dictâ ceſſione, & inſtituto Creditorum concurſu Creditores non ampliùs in Debitorem pugnent; ſed acris inter ipſos Creditores pugna oriatur, quolibet illorum nullum non movente

movente lapidem, partem earum fortunarum ut pro crediti ſui portione alteri præripiat. Debitor jam carceris ſqualorem ſubterfugit; jam Legum indulgentiâ uſus eſt; nec ampliùs jus ſuum in illa bona, quibus ceſſit, aſſerere, nec alio gaudere privilegio poteſt; ſed tantùm bona illa, in quæ nullum jus obtinet, qui iisdem ceſſerat, à Creditoribus in contentionem vocantur. Jam quæro, an Creditores poſteriores quodam privilegio gaudeant, ut per ſententiam ac Decretum Judicis priores ad accipiendam in Creditorum ſuorum æſtimationem congruentem facultatum partem cogere poſſint, tametſi ii ipſi ſint Creditores numeratæ pecuniæ, quemadmodùm plerumque in Cenſibus, & non raró in Dotibus fieri ſolet?

Haud ex æquitate futurum reperias, ut hi tales eodem modo habeantur, ſi modò, apud quos Juſtitia valet, id animo ſecum perpendant; ſiquidem pecuniarum Creditores diverſi, & in ſubpoſito aliis tempore priores ſunt. Eapropter Juſtitia in ejusmodi caſibus poſtulat, ut prior tempore ſit etiam prior jure: prior autem jure poſterioribus Creditoribus non tantùm in ordine, ſed etiam in modo ſolutionis ſecundùm pacta, quibus ille antè in ea bona, quàm alii

T 2 cum

cum communi Debitore contraxerant, Jus acquisivit, præferendus est. At primis etiam fortunas non accipientibus, subsequentes Creditores damno adficientur: fieri id posse haud diffiteor; eámque ob rem querelarum, ac lamentorum tempestas, in quam hi fortassis prorumpent, in iniquum Debitorem, qui eos luserat, meritò desæviet; minimè verò in præcedentes Creditores, qui præsenti ære sibi satisfieri jure optimo petierunt, eo prorsùs modo, quo eorum querelæ ac lamentationes contra primos, qui fortè suis creditis omne Debitoris patrimonium absorbuissent, quin vel minimum quid iis reliquum esset, iniquæ forent. Non est eadem inter eos conditio, qui diversis temporibus & ex intervallo cum aliquo contrahunt, omnésque ejusdem facultates sibi oppignorari curant: qui enim priùs pactione aliquem sibi obstringunt, tale jus in Debitoris bona acquirunt, ut omnium subsequentium Creditorum actiones, & postulationes, siquæ adferrentur, excludere possint. Quare quotquot hæc aliorum jura & compendia eo potissimùm capite turbare vellent, quòd hypothecariis tempore posterioribus aliàs incommodum importandum esset, æquitatis fines transirent. Ex quo consequitur, quòd, cùm quædam Regiones ac Provinciæ

ciæ reperiantur, quæ omnes Creditores æquales esse cupiant, tam primos, quàm secundos, & tertios, sine ullo discrimine ac delectu, ad accipiendas in æstimationem fortunas obligando, ejusmodi Lex introducta fuerit, aliis Justitiæ Legibus (hoc pace vestrâ dixerim) non diligenter examinatis. Legislator, ni vehementer jocantis somnii ludos mihi objici puto, caritate & misericordiâ se abripi passus est, ut, quoad ejus fieri potest, cuilibet Creditori pars quædam bonorum Debitoris obveniat. Verùm in animum revocare oportebat, quòd in civilibus Judiciis, ubi quivis actionum & exceptionum suarum periculum facit, Jus suum defensurus, vel obtenturus, Judex juri dicundo præfectus inprimis ipsi Justitiæ satisfacere debeat; nec eam caritatis ergò offendere, aut deserere liceat. Quæ caritas Judicis foret, si partem patrimonii Debitoris, quod totum primis Creditoribus adjudicandum esset, separare vellet, etiam posteriores Creditores voti sui damnaturus? Judex Christianus si stipem erogare vult, ex rebus, quæ mancipi sunt, non verò alienis eam conferat.

Hæc à me eo consilio dicta fuisse sciatis velim, quòd mihi incommoda, quibus Creditores subjecti sunt, ubi fortunas in

æstimationem accipere coguntur, minimè lateant; incommoda meherclè considera-tione dignissima, si æquâ Justitiæ trutinâ ponderantur: nam ut silentio prætereams quòd numerata pecunia plerumque pluris æstimetur, quàm prædia ac fundi, Creditor non rarò vel invitus fundos accipere debet, qui vel ob distantiam, vel ob ingenium loci, vel ob alias id genus rationes sæpenumerò eidem plus detrimenti, quàm commodi adferunt. Sed fortunæ, ajunt, à rerum peritis *justo pretio* æstimatæ, atque Judicis Decreto approbatæ dari solent. Justum scilicet pretium, quod nec ipsi æstimatores pro ejusmodi re penderent. Justum pretium censetur, quod plerumque nullus statuit, ubi illi fundi præconis voci subjiciuntur. Quamquàm illud pretium, metaphysicè, & absque suis adjunctis, seu circumstantiis consideratum, justum appellari possit; injustissimum tamen postmodò esse deprehendas, ubi circumstantias cum qualitatibus fundi, ac personarum, quibus fortasse rem procul dissitam, inutilem, gravibúsque oneribus obnoxiam obtrudere per vim contendunt, consideraveris. At Justitia nequaquam metaphysicis abstractionibus nititur, nec in nudis nominibus, sed in eo maximè consistit: ut cuique suum verè, & non fictè tribuat. Quàm longè autem ab

ab hoc chimæricum illud *juſtum pretium* abſit, quo Creditori numeratæ pecuniæ ſatisfit, eundem ad accipiendas facultates adſtringendo, in cauſis forenſibus exercitati facili negotio comprehendent, meliúsque id Judicem intellecturum eſſe judico, ſi etiam ipſi hac prorsùs ratione alia Tribunalia ſatisfacerent, ac par pari referrent. Demus igitur, ejusmodi *juſtum pretium* Creditori pecuniarum magnum imprimere vulnus, pretium ſemper cum injuſtitia conjunctum erit, quia injuriâ afficietur, cui ex legitima ſtipulatione ac pacto tota æris ſumma, & non fundus, qui eidem permiſſus tantò minoris pretii erit, ſolvendus fuerat. Majorem autem ejus generis Creditoribus adhibere ſolet moleſtiam, quòd, dum nemo eſt, qui prædia, ac fundos ab haſta quærat, fundus (ſive bona ſint, quæ ſolo continentur, ſive domus) dividatur, ejusdémque partes à Judice Creditoribus aſſignentur, ita quidem, ut ſi ille fundus, qui totus ac integer exempli cauſa mille Philippeis æſtimabatur, diviſus dein venderetur, Creditor tertiam deſtinati ſibi pretii partem, vel adhuc plus perditum iret. Et en! quàm ſapienter Doctores noſtri aliorum juribus conſulant, manipulo Creditorum facto, quemlibet eorum ad accipiendas in æſtimationem facultates adſtrin-

gentes, nulla habita ejus ratione, atque delectu, qui non tantùm ob prioritatem, ſed etiam qualitatem crediti ſui melius habere jus putatur. Nec defuère, qui pecuniarum Creditoribus pecuniam ſolverent, eos tamen obligando, ut tertiâ, vel quartâ crediti ſui parte cederent. Nemo ſanè id quoque iniquum eſſe inficiabitur, cùm, quod uni debetur, auferre, alterique dare velint, qui illud cum alterius diſpendio ſibi jure Vendicare nequit. Si primi Creditores, dicta dico, etiam omnem Debitoris aſſem abſorberent, poſſétne ſecundùm jus fáſque vel ſola uncia eo conſilio detrahi, ut & poſteriori Creditori quid obveniret? Næ ego haud putem, novam, & ab omni hominum memoriâ inauditam Falcidiam in ſubſequentium Creditorum, vel ipſius Debitoris gratiam eſſe excogitandam.

Erunt fortaſſis, qui Authenticam *hoc niſi debitor C. de Solutionibus*, & aliam *de Fidejuſſoribus* §. *quod autem* tradant, & inculcent. Sed Juſtinianus nec de bonorum ceſſione, nec de Creditoribus in Concurſu inter ſe contendentibus, multóque minùs de Jure & Actione Cenſualiſtarum in Debitoris bona loquitur; cùm cenſus conſignativos extrema primùm Secula invenerunt.

runt. Ad illas Authenticas hodierni Pragmatici hæc additamenta fecêre, easdem pro arbitratu, & causarum suarum necessitate interpretantes, & amplificantes. Eáque propter additamenta, & interpretationes Bartoli, Baldi, Salgadi, ac Cencii neutiquam Leges existimandæ sunt, cùm & eas jubendi potestate, quæ non nisi penes Principes est, destituantur, & ratio sententias illorum superare debeat: siquidem prudentûm Principum opinio, ac mens est (& sic sapientes Legum Interpretes intelligant oportet) ut privilegia, & beneficia, quæ à Jure Communi recedunt, & alteri damnum infligunt, Jus acquisitum tertii tollendo, & pactiones justè firmatas rescindendo, quemadmodùm Jurisprudentiæ Doctores pleno agmine docent, non concedantur, vel saltem non amplificentur. Jam Privilegium, facultatibus facta nomina diluendi, Debitori concessum, qui non vitio, aut culpâ suâ præsenti ære solvendo haud est, Principum, infelicem illum è Creditorum asperitate erepturorum, gratia, christianæ Caritati optimè conveniens, & fuit, & etiamdum est. Hanc autem in paulò ante memorata Authentica: *hoc nisi Debitor*, fuisse Justiniani sententiam, Jurisperiti passim asserunt, & ex *L. 1. C. qui bonis cedere possunt* etiam intelligere licet.

At Cessionem præterea in Debitoris commodum vertere velle, an non idem esset, ac Debitori plùs, quàm par est, favere, è diverso in Creditores pænam indignis modis statuere? Æratus tantum æris in promtu habens, quo omnibus secundùm pacta conventa ex asse satisfacere possit, omnia jura divina humanáque perverteret, si minùs, quàm tenetur, solvere vellet.

Multò dein magis advertendum est, quòd in Concursu, quo de præcipuè jam nobis sermo, posito semper, Debitori, factâ bonorum cessione, nihil eorum reliquum esse, non ampliùs de misericordia ipsi Debitori impertienda, nec de alio privilegio eidem concedendo agatur. In hoc rerum statu (dicta repeto) Creditores non jam cum Debitore, quem gratia Principis ex eorum manibus eripuerat, sed inter se ipsos contendunt; nec Justinianus mox dictis Authenticis aliquam in eos contulit benevolentiam; nec unquam putavit, posteriores Creditores cum anterioribus, Pactis, & hypothecis melioribus instructis, ejusdem esse conditionis. Non ignoro, Justinianum in memorata Authentica *de Fidejussoribus* §. *quod autem* in hæc verba scripsisse: *Quæcumque quidem meliora sunt, dentur Creditori: quæ verò deteriora, apud Debitorem*

torem poſt debiti ſolutionem manere ſinantur. Quibus verbis etiam Debitorem ad dandas in ſolutionem facultates admittit, ſi illi quoque, ære alieno diſſoluto, pars reſtat. Verùm nimiam iſtam Juſtiniani indulgentiam Tribunalia æquitatis ſtudioſa deteſtantur, iis tantùm bonorum ceſſionem concedentia, qui ſunt pauperes, id eſt, qui, quòd omnibus ſatisfacere nequeant, in præſentiſſimum carceris diſcrimen vocantur. Inſignis ille Imperator ſæpenumerò in Authenticis Jus Commune corrigere voluit, ſed ejusmodi correctionibus, quæ cum Juſtitia minimè conſentiunt; eáque propter multæ illarum in tot tantisque Statutis, ac in quotidiano Fori uſu vel penitùs ſunt reprobatæ, vel certè arctioribus limitibus circumſcriptæ. Novarius ipſe in Tract. *de in ſolutum bonorum datione* vim virtutémque Authenticæ altâ voce prædicans, Quæſt. XXVI. tamen fatetur, *minimè competere privilegium Dationis in ſolutum Creditori poſteriori in majore quantitate, ita, ut poſſit cogere Creditorem anteriorem in minore ſumma ad recipiendum juſto pretio bona Debitoris.* Quantò magis ergò concedere debebat, Creditoribus poſterioribus minimè fas eſſe, anteriorem Creditorem Censûs, aut Dotis in numerata pecunia conſiſtentis, cogere?

Quod

Quod autem ad Census attinet, sanè vehementer miror, quî nonnulli velint, ut paulò ante dicta authentica etiam contra illos obtineat, Censualistas ad accipiendas in æstimationem facultates Censuarii adstringendo. Quo pacto in hanc rem Justinianum producunt, qui nullam Censuum cognitionem habuit? Ex adverso S. Pius V, eorundem probè gnarus, satis apertè statuit, ut Census præsenti ære emantur, & retrovendantur. Cui morem gerere oportet? Nec opus est, ut Carolus Antonius de Luca in observationibus ad Decis. LXXXII. Vincentii de Franchis dicat, Debitorem, *quando obligat rem, semper censeri obligare illud plus, quod excedit post primam obligationem: unde S. C. providet, quod Creditor anterior procuret venditionem; aliàs procedetur ad adjudicationem.* At si Creditor Censûs non inveniret, qui ob pretium plerumque nimis magnum fortunas mercari vellet; ubi gentium illa Lex, quæ eum ad accipiendam illarum adjudicationem alliget? Is numeratam pecuniam accipere stipulatus est, & hoc etiam S. Pius litteris Pontificiis sanxit. Nihil aliud ergò in subsequentium Creditorum gratiam obligatum, ac oppignoratum esse debet, præterquàm quod redempto ipsis pecuniis censu superererit. Egregiè enimverò Doctores docent,

docent, quæſitum anterioris Creditoris jus minimè à poſteriore Debitoris facto deterius reddi, aut labefactari poſſe, *L. Debitorum C. de Pactis*, ut alias Leges, & Auctores taceam, quos Olea *de* Ceſs. Jur. Tit. II. Quæſt. III. num. I. refert. Verùm ſi Debitor res ſuas dilapidare, atque æs alienum conflare, ſicque Creditoribus decoquere non deſiſtat, concurſum prorogaturus; omnibus cognitum, atque perſpectum eſt, quòd, ubi anteriores Creditores ad accipiendas in æſtimationem facultates, quæ non rarò ne media quidem debitæ ipſis pecuniæ pars erunt, adſtringuntur, ampliſſimus Debitori campus aperiatur, poſterioribus factis jus anteriorum Creditorum deterius reddendi, quod æquitatis, juſtitiæque ſtudioſo nequaquam æquo animo ferendum eſſe cenſeo.

Eam ob rem Legislatores, quæ eorum prudentia eſt, volunt, ut hypothecæ, & pactiones anterioris priùs ſanctè ſerventur, eâdem Juſtitiæ menſurâ dein ſubſequentibus ſubvenientes. *L. ſiquis major C. de Transactionibus* infamiâ notabatur, qui *adversùs pacta*, interpoſito jurejurando firmata, etiam *ſupplicando Principibus* venire volebat. Ubinam locorum eos nunc reperias, qui pactiones anterioris Creditoris

Censûs

Censûs rescindere cupiant, officium in posteriores Creditores conlaturi? Nec isti injuriâ læduntur, nec de illo Censualista prudenter conqueri possunt, si plagam à fortuna accipiant; sed querelas suas vel in debitorem exonerent, vel culpam in se ipsos, vel in sinistrum suum fatum conferant oportet, quòd cum eo parùm considératè pactionem fecerint, qui magnitudine æris alieni oppressus, grallatorio gradu ad incitas properabat. Jam hæ, & id genus aliæ rationes viris sapientiâ præstantibus ansam præbuêre, in diversas ut abirent sententias. Sunt, qui Creditorem Censûs ad accipiendas in æstimationem facultates haudquaquam cogendum, sed fundum censuum cuidam Creditorum adjudicandum esse putent, qui se arbitratu suo liberare censu poterit, eundem præsenti ære, seu traditione pretii extinguendo. Alii contrà neminem ad accipiendas cum gravi suo detrimento, ac incommodo fortunas cogendum esse, sed eas plus offerenti vendendas, vel Creditoribus adjudicandas existimant, qui easdem etiam minore, quàm rerum periti constituerint, pretio emant. Et hæc ultima sententia cum æquitate maximè conjuncta esse videtur, cùm præcipuè de Creditoribus Censuum agatur, quibus etiam tot facultates applicari possunt, ut probabili-

babiliter censuum fructus reddant. Verùm cùm æquum haud sit, ut Censualista ex ejusmodi adjudicatione utilitatem capiat, antiquis Legibus cautum est, ut Creditoribus subsequentibus, vel Debitori *Jus offerendi* reservetur, id est, ut intra præfinitum temporis spatium assignatum Creditori Censûs fundum redimere possint, qui sortem, vel fructus crediti sui jure sibi vendicare nequit. Et hanc ipsam Regulam Eminent. Cardinalis de Luca *de Cens.* Disc. XXI. in Concursibus, quod ad Creditores Censuum attinet, observandam esse censet. Hac quoque ratione Authentica *hoc nisi C. de solutionibus* intelligenda venit, ut facultates etiam Censualistæ assignentur, sed sine suo incommodo, & ita quidem assignentur, ut alii Creditores easdem fortunas vel redimendi, vel vendendi, pretiúmque in Censu statutum solvendi facultatem habeant.

Verùm hæc dixisse nondum sufficiat. Ut magis intelligatur, quàm illæ Leges, vel Statuta non conveniant, quæ etiam Creditores Censuum, aut Dotium ad solvendum præsenti ære cogunt, eos perinde ac alios vel posteriores habendo; gravissimum vulnus, in memoriam revocare oportet, quod Reipublicæ, ac humanæ societati

tati imprimitur, dum mortalium prudentia turbatur, quin & ejusdem usus extinquitur; quod non modò nunquam ferendum, sed etiam ingens vitium, ac iniquitas foret.

Antonius Faber, Jureconsultus, siquis alius in Italia, singulari prudentiâ, & summis ingenii ornamentis præditus *de Errorib. Pragmat.* Decis. XXV. Cap. I. dicebat, Principi nequaquam fas esse, prorogare Emtori præfinitum publico instrumento tempus emtum fundum retrovendendi, cùm id Reipublicæ esset incommodaturum. *Nec facilè*, inquit, *reperientur. qui velint emere sub hac Lege, pactóque retrovendendi, si jus ita constituatur, ut conditionis, quæ suum certúmque tempus habuit, ex conventione paciscentium, tempora præscripta ex solo Principis rescripto prorogari possint, inscio, adeóque invito emtore, qui non nisi sub ea conditione obligatum se voluit ad retrovendendum. Quænam enim commerciorum, & pactorum fides posthac erit, si quæ inter contrahentes justè placuerunt, iis ignorantibus, & invitis, pro Principis arbitrio immutentur?* At quantò magis id dici poterit, si Legislatores mox dictos Creditores Censûs, aut Dotium pecuniariarum, tametsi anteriores, ad accipiendas

das *in solutum* fortunas cum gravi eorum dispendio adstringere vellent? Hac ratione pactiones rescinderent, ac homines in tantam perturbationem conjicerent, ut, quid in id genus pactionibus, inter mortales cæterà frequentissimis, sequantur, penitùs ignorent. Fingamus animo, quemdam rebus omnibus exploratis, & cum æquissima rationis lance æstimatis, censum duorum millium Philippeûm ab eo acquirere, qui viginti millia in fundis liberis, & ære alieno non obrutis habet; vel filiæ dotem quinque millium Philippeûm illi dare, qui triginta millia, nec debitis, nec hypothecis, aut fideicommissis obnoxia, habet: hunc profectò prudenter agere nemo unus inficiabitur. At non æquè prudenter facere censetur, qui alteri pecuniam credit, quem fundos quidem, ac prædia possidere, sed & in ære alieno esse, ac labem fortunarum suarum pati non nescit. In hoc rerum statu si primos juxta ac secundos Creditores perinde habere vellemus, & hos, & illos obligantes, ut facultatibus cum insigni suâ jacturâ contenti sint; ad quid prudentia in conficiendis pactionibus faceret? Pejus adhuc foret, si nonnulli in Concursibus Dotes, ac Fiscum præferre cuperent, quod,

quemadmodùm aliàs diximus, viri prudentiâ perſpicui ùt plurimùm explodunt, ac reprobant. Eapropter ſi Regio quædam foret, in qua Creditorum concurſus ita ſtatuti ſint, ut Leges non minùs prudentiæ, quàm juſtitiæ in humana ſocietate evertantur; uſus ac conſuetudines ſuas meliùs ponderet, atque corrigat.


Tacitus denique præterire nullo modo poſſum, quòd, ſiquis Creditorum donationem ſibi à communi Debitore factam cauſari auderet, reſervando, donec donans hac luce fruitur, ſibi uſumfructum, prioritate hujus actûs ſubſequentes Creditores excluſurus, vel iis incommodaturus; aures eidem negandæ ſint. Lex ſuperior publici commodi, boníque populorum regiminis, quæ, quidquid ad imponendum gentibus facit, deteſtatur, atque abominatur, hìc Legem civilem ſuperet oportet. Ejusmodi donationes jure larvas donationis dicas, cùm, quæ donans dat, tantùm logi ſint, réque donatâ frui, ac dominari pergat: nemo autem eſt, qui ignoret, iniquum eſſe, ut hæc verba, ſecretò pleruṁque cum Tabulario conlata, & Reipublicæ ignota, vim habeant, ubi fortiſſima adeſt conjectura,

rem

rem callido animo donatam eſſe, ad texendos ſub vinea dolos, & ad eam in gratiam parentis vel amici vindicandam, & pecunias ab aliis, qui perſonam illam adhuc copioſam credunt, & vident, eliciendas, ut omnibus dein fabam cudat, ludúmque adornet. Certè Legum Scriptores nunquam ejus ſententiæ eſſe potuêre, ut Conſtitutiones, ac Edicta ſua fraudum paſcua ſint, viámque ad furandum aliis muniant; ſed ut duntaxat veritatis, & Juſtitiæ nutrices, atque omnium technarum adverſariæ exiſtimentur. Oportebat illum reapſe vel donatæ rei traditione donare, eâdemque privatum coram aliis apparere; vel minimùm nulla nomina facere: aliàs enim ipſe ejusdem actus Legum abuſus in proximi perniciem credendus eſt.

Quod tandem ad Cenſuum fructus, vel alia legitima credita, non exacta, attinet, nulla Creditorum habenda eſſet ratio, niſi per quinque, vel decem annos, ſi non probaretur, eos neceſſariam induſtriam, & nervos adtuliſſe, ut etiam per majora tempora ipſis ſatisfiat; ſalvo ſemper eorum jure reliqua conſequendi, ubi aliis Creditoribus hypothecariis ſors ſua ſoluta eſt. Si negligentes fuerint, culpam

sibi attribuant; non enim decet, ut eorum negligentia posterioribus in detrimentum cedat.



CAPUT XVII.

De Fideicommissis, Majoratibus, Primigenituris, ac Substitutionibus.

INsanam mortalium superbiam recognituro haud aliâ re opus esse arbitror, quàm ut varias testamentorum tabulas, quæ singulis diebus instituuntur, lectitando volvat. Iis Testatores non res suas duntaxat heredi relinquunt, sed etiam volunt, ut eædem conserventur, ac in aliorum manus veniant, substituendo in primi heredis locum alias determinatas personas, sive posteros, ac nepotes, sive agnatos, &

& cognatos, sive etiam extraneos, pro suo quisque affectu, iis quoque constitutis conditionibus, ut, quotquot heredes, instituti sunt, usumfructum potiùs, quàm verum & liberum earum rerum dominium habeant. Insanam mortalium superbiam voco, à Deo ea Lege creatorum, ut in paucos annos vitam producant, iisque bonis ac facultatibus fruantur, quas vel fortunâ duce, vel propriâ industriâ consecuti sunt: illi autem non tantùm quoad vivunt, sed etiam ùt diem extremum clausêre, plurimos annos eisdem dominari cupiunt. Dein risui habentur, si de exigui momenti facultatibus agitur, vel si ejusmodi dispositionem in seros posteros, ac ventura Secula, vel omninò *in infinitum* transferre volunt, ùt nonnullæ testamentariæ sonant tabulæ. Dictum fuit optimè, hominem esse superbum animal. En! quî ille etiam à morte, ubi corpus jam terræ redditum, in annorum myriades mandata dare. Verùm detonabunt bellorum tempestates; pestilentiæ grassabuntur; Principes gratiam Legis facient; perspicacia Jurisperitorum varias artes excogitabit; harum facultatum possessores putidos tegent dolos, & aliæ id genus pestes nascentur, maximè verò mors veniet, ridiculas ejus dispositiones eversura, qui, dum hujus stabit machina mun-

di, si fieri posset, imperium suum extendere desiderat.

Ex una parte nemo diffitebitur, nullum esse fundamentum, si fructum, in universam Rempublicam juxta ac privatas familias redundantem, consideramus, institutionem harum, ut ita dicam, progressivarum hereditatum laudabilem vocandi. Hoc modo Nobilitas ab exitio liberatur, in qua, dum fortunarum Attalicos census, à Majoribus cumulatos, dissipandi libertate privata est, eorum conservatione principalis omnium judicio nobilitatis nervus servatur. Illustri genere satum, sed ad mendicitatem detrusum, lampyridem dixeris, cujus posterior pars parum quidem lucis, sed lucis fatuæ habet, puerorum duntaxat ac infantûm lusus. Ad hæc Asotorum dementiæ, ac Pupillorum necessitati maturè consulitur: amor in parentes, gratúsque in amicos animus aperitur; & si id in vivis haud factum est, saltem post fata demonstratur. Eáque propter tametsi nomen Majoratuum, & Primigeniturarum apud veteres Romanos non audias, & ne Fideicommissa quidem in hodierna notione per plura Secula more receptâ fuerint: illâ tamen etiam tempestate Substitutiones usu vigebant, quæ nihil aliud sunt, nisi eadem res sub diverso nomine,

nomine, quemadmodùm & aliæ suprà memoratæ dispositiones, & hereditatum vincula. Profectò absque tam sapienti medio fuisset, tantæ Ceræ tot jam Secula in hunc diem pulcherrimè fumosæ de suo statu, ac splendore fuissent deturbatæ. Plura porrò in Fideicommissorum commendationem dicturus, pro suo id arbitratu faciat.

Interea ex altera parte incommoda horum humanorum inventorum, quæ nos ùt salutaria, ita laudibus ferenda existimavimus, in apricum proferamus. Ex quo hæc in Italia in immensum adeò serpserant, ut paucos videas, qui vel tenue prædium à se possessum sine Substitutionis, aut Fideicommissi vinculo in heredes transferant; magnum sanè vulnus Reipublicæ est impressum, eo maximè nomine, quòd contractus emendi, & vendendi, census fundandi, oppignorandi, & id genus in incerto versentur. Videmus non rarò rancidas chartas, testamentorúmque tabulas in lucem conspectúmque hominum emergere, quæ ex illusorum Emtorum manibus fundos ac prædia eripiunt. Nec omnia animo prospici, nec omnibus provideri potest, maximè si de Familiis agitur, quæ per veteres avorum ceras genus suum altè repetunt. Nec post varias publicationes, ac Judicis de-

cretô ab hasta quæsivisse juvat. Eten! horrida dein tempestas tot Creditores premit, Debitoribus, vel saltem eorum Filiis, opposito Fideicommissorum scuto, rem vindicantibus. Quot Artifices, quot mercatores turpiter delusi, ac circumventi sint, manifestè experiundo comperimus. Secundò ingentes lamentationes, ac confusiones in Familiis oriuntur, quas non rarò Fideicommissum parit, in quo etiam legitima comprehenditur: Et hoc Fideicommissum in unam solam personam, & in solos masculos restrictum est, ita, ut nec Fratribus, nec Filiabus, nec Sororibus, aut cognatis &c. ad contrahendum matrimonium quidpiam supersit. Si domus in varias angustias deducuntur, calamitatibus, ac malis vexantur, Fideicommissum violare non licet. Haud mihi latet, quòd in nonnullis Regionibus Principes justis de causis, & nonnunquam etiam sine ejusmodi rationibus solvere Legibus soleant, quia supremæ eorundem voluntati sic volupe est, id quod nemo eis prohibuerit. At in aliis Regionibus id genus immunitates à Lege haud facilè reperias; & si quidem conceduntur, tantùm Fideicommissa ascendentalia, & non transversa spectant. Tertiò vel leviter Forum lustretis, & observetis velim, quid pertractetur, quid in quæstionem vocetur.

Vide-

Videbitis, maximam partem de Substitutione, de Fideicommisso, de Majoratu, aut Primigenitura agi, atque disputari. Hæc Advocatis, Procuratoribus, Tabellionibus, ac Judicibus plùs commodi, quàm cætera omnia adferunt, eoquòd ob Successiones, & testamentorum tabulas, suopte ingenio impeditas, ac turbatas, vel quas Jurisperitorum perspicacia turbidas, confusásque reddere laborat, sæpiùs, quàm ob alia negotia, lites ex litibus seruntur. Nec est dubitandi locus, quin, extirpatis tot hereditatum clausulis ac vinculis, Tribunalibus ingens causarum vis, & sua Jureconsultis merces multùm minuenda foret.

Jam aliorum ingenio, & conjecturæ committo, an in majus Reipublicæ commodum redundet, si Fideicommissorum usus retinetur, vel si tanquam humanæ societati perniciosus abrogatur, utpote à quo tanta mala fluunt, tótque lites, suffragante Pellegrino atque Fusario, nascuntur; cùm certum, exploratúmque sit, in Principis potestate positum esse, ea ob rationes, quas hoc loco referre supervacaneum duco, arbitratu suo prohibere. Nec desunt sapientiâ conspicui homines, qui desiderent, & factu optimum credant, si hoc hu-

manæ arrogantiæ inventum, quod totum terrarum orbem litibus, ac sophismatis tantoperè irretire, hominúmque societati summè exitiosum esse constat, funditùs evelleretur. Inter alios Eminentissimus Cardinalis de Luca in suo Doctore Vulgari Lib X. de Fideicommiss. Cap. I. fatetur, in ævo suo *multos insignes Jureconsultos, innumeras ferè Fideicommissorum causas actitantes, usu exercuisse, qui visis, & exercitis tot artibus, & absurdis, quæ inde nascuntur, ab iis in suis dispositionibus plurimùm abhorruerunt.* Hæc verba (nisi nihil ego sentio) satis apertè indicant, quàm ejuscemodi testamentariæ dispositiones, præter alias, quas suprà diximus, turbas, ac incommoda, humanam Justitiam ob inexplicabilem aliorum res procantium aviditatem, atque industriam in errores conjicere queant. Verùm, siquidem mundus consuetudines, ac usus suos ad insaniam amat, & hoc problema est, quod, si mille suo calculo laudant, duo vel decem millia damnabunt; præprimis verò, quotquot è Fori controversiis emolumentum capiunt, omnes Fideicommissorum abrogationi semper repugnabunt: Fingamus animo, illa in suo manere vigore, Principibus seriò, quoad fieri potest, elaborandum esset, ut iisdem perniciosis effectibus medeatur. Ut igitur tole-

tolerabili quodam modo illis damnum præstetur, qui cum id genus personis ad pactionem accedunt, quas opibus adfluentes, vel evictioni promittendæ, & solvendo esse existímârunt, sed reipsa ejus commatis non sunt, cùm tantùm bonorum usufructu fruantur, quæ ab earum morte ad alias devolvuntur; optandum est, ut Provisio, à Pontifice Maximo Clemente VIII. Romanorum Baronum commodo excogitata, & ex intervallo ab Urbano VIII. moderata, ubique gentium, ac terrarum introduci possit. Eadem non in variis duntaxat Franciæ, Germaniæ, ac Poloniæ locis obtinet, sed etiam Victor Amadæus Sardiniæ Rex, divinâ mente & consilio præditus, eam Lib. V. Tit. II. suarum Constitutionum omnibus Provinciis suis invexit, atque ab omnibus servari voluit, quotquot facultates suas Primigenituris, Majoratibus, ac Fideicommissis ligant: sive ut animi mei sensa clariùs aperiam, statuendum esset, ut, quicunque bona ejusmodi conditionibus obnoxia habere prætexit, desiderans, ut in personas vocatas transeant; vel si etiam vocatæ eas fortunas cum tempore possidere, & ad seros posteros transmittere cupiunt; sex mensium spatio illas speciatim denuntiare, vel earum indicem ab Libellione recognitum, in quo quantitas, situs, ac fines

nes illarum scribantur, Præfectis, ad id à Principe constituendis, exhibere cogantur. Ad id quoque obligandus foret, quisquis in posterùm prædia ac fundos Fideicommisso subjiceret. Secùs si hoc genus indicem conficere, vel denunciationem statis diebus facere negligerent, eorum bona à dictis conditionibus libera esse censerentur.

Cùm dein cuivis concessum sit, in publico illo munere, ejusdémque libris exponere, an illa bona Fideicommisso adstricta sint, nec ne; hac ratione cum eo, qui cum amplissima potestate iis fundis fruitur, pactionem conflandi periculum faciliori longè negotio devitabunt. Verùm ad hujus medii usum Reipublicæ commodum magis reddendum, omnibus votis expetendum esset, ut ubivis locorum index, & ordo omnium bonorum, quæ solo continentur, & vel conditionibus ligata, vel etiam libera sunt, conficeretur, Videas hìc & non paucos, qui id improbent, maximè eos, qui varias ob causas gravatè ferrent, si arcana familiarum suarum proderentur. An ergò nulla his humanæ societatis fraudibus medicina adhibeatur, ob quas tot, tantiq e in luctu versantur, & Justitia veteratorum culpâ, ac Principum,

tantis

tantis Provinciarum suarum malis, dum possent, mederi nolentium defectu conculcatur?

Aliud non minùs laudandum intemperatæ Fideicommissorum Libidini frenum in Provinciis suis injecerat Victor Amadæus, Sardiniæ Rex, & Allobrogum Dux, Divini ingenii Princeps, quem Litterati omnes, & Boni dignum immortalitate judicaverunt. Prohibuit nempe pro insigni sua prudentia omnibus, quos genus avitum spectabiles non fecerat, vel qui nobile quoddam Feudum non possidebant, ne facultates suas Fideicommisso supponerent, ita, ut & jam facta aboleret. Quod autem ad ipsos Nobiles attinet, statuit, ut ne eorum Fideicommissa vel jam instituta, vel adhuc instituenda quartam generationem transirent, ita, ut ultimus iis facultatibus liberè frueretur, illæque liberæ manerent, nisi & hic eas novo Fideicommisso ad alios transferre vellet. Avenionense Statutum Fideicommissa ultra tertium gradum vetuit, aliis Statutis, quorum ego nullam notionem habeo, idem fortasse præscribentibus. Quid quòd Cardinalis de Luca, Jureconsultorum facilè princeps, & siquis alius sincerus Disc. supra nonagesimum sexto num. tertio & decimo de Fideicomm. mox dictum

Ave-

Avenionense Statutum *pro meo sensu rationabile, ac ubique introducendum, cùm ita cessarent tot lites & inconvenientia*, appellat. Profectò exoptandum esset, ut his quoque limitibus Fideicommissa in aliis Regionibus ac Provinciis circumscriberentur, exigente id publico commodo, ut hoc pacto contrahentes indemnes præstentur, ac immodicus Fideicommissorum, litiúmque usus tollatur. Non nescimus, olim Romanos, si illis placuit, ut eorum bona ab herede ad alium transirent, ab illo petiisse, ut ea huic vel illi relinqueret, illum heredis fidei committendo: unde nomen hereditatum Fideicommissariarum, vel Fideicommissorum natum est. Verùm cùm non paucis preces, à Testatoribus factæ, non sine gravibus ad illam hereditatem adspirantium lamentis, ac querelis, animo effluxissent, Imperator Augustus quosdam ad explendum Testatorum desiderium adstringere cæpit; quo dein factum est, ut paulatim stabiliretur, ac preces vim Legis haberent. Propterea autem minimè credendum est, quemadmodùm hodierni nostri Leguleii, audito in Institutis, ac Digestis, ubi de Senatus-Consulto Trebelliano sermo est, Fideicommissorum nomine, existimant, illâ tempestate, & ne quidem sub Justiniani ævum Fideicommissa ætatis nostræ obti-

obtinuiſſe. Ad exactiorem trutinam id revocaturo patebit, *hereditates Fideicommiſſarias*, *aut fiduciarias* ſub eam tempeſtatem nequaquam ſpecies Subſtitutionum poſt heredis fata, ſed medium fuiſſe, rem illis relinquendi, quibus relinquere per Leges minimè licebat. Quid Teſtator, hanc inhibitionem eluſurus, id ævi agebat? ab herede ſuo petebat, ut vel totam hereditatem, vel partem ejusdem huic vel illi perſonæ relinqueret, id quod ab herede vivo confeſtim poſt aditam hereditatem, vel elapſo certo temporis intervallo fieri & oportebat, & amabat. Verùm hodie id facere haudquaquam fas eſt. *Quibus non poterant hereditatem, vel Legata relinquere*, ait Juſtinianus Lib. II. Tit. XXIII. Inſtit. *ſi relinquebant, fideicommittebant eorum, qui cupere ex Teſtamento poterant hereditatem.*

Age verò, quem fructum ex ejuscemodi hereditatibus heredes conſequebantur? Superiore ævo planè nullum; imò fortaſſis etiam ludebantur; & ſanè non poterant non conqueri, cùm illi non niſi fumum colligerent, re aliis obveniente. Eapropter Veſpaſiano imperii habenas moderante, Pegaſio & Puſione Conſulibus, Senatus cenſuit, ut heredibus Fideicommiſſariis,

ſariis, vel Fiduciariis liceret quartam hereditatis, vocato relinquendæ, partem detrahere, atque ſibi retinere. Et hæc eſt origo celebrîs Quartæ, quæ hodie *Trebellianica* dicitur, quamquàm in Senatusconſulto, regni clavum tenente Nerone, Trebellio Maximo, & Annæo Seneca Conſulibus facto, de Quartæ deductione nulla prorsùs mentio fiat, Juſtiniano in Trebellianum transfundente, quod alius circa mox dictam deductionem ſtatuerat. Nemo eruditorum eſt, qui neſciat, Trebellianicam hac tempeſtate plerumque heredibus Fideicommiſſo gravatis eſſe conceſſam. Circa hoc obſervetis velim, hodiernum Trebellianicæ uſum propriè non eſſe antiquis Legibus, ſed Jureconſultis extremorum Seculorum in acceptis referendum, quorum inſignis ſcientia eandem ex Senatusconſulto Pegaſiano eruit, id genus prærogativam non in omnia duntaxat hodierna Fideicommiſſa, ab antiquis licèt maximè diverſa, ſed in Subſtitutiones etiam extendentium; quod Romani Jurisperiti, hæredem, qui aliàs adire hæreditatem, ex qua nullum capiebat fructum, recuſare potuiſſet, præmio, haud ſecùs quàm par erat, quodammodò adfecturi, ne quidem ſomniârunt. *Adire hæreditatem ob nullum, vel minimum lucrum recuſabant, atque ob id*

extin-

extinguebantur Fideicommissa. Date mihi nunc hæreditatem hodiernis Fideicommissis gravatam: quis non videt, hæredem toto vitæ suæ tempore illâ hæreditate frui, atque ejusmodi usufructu ei satisfactum esse? Ratio ergò hìc cessat, quæ Veteres ad approbandam in suis Fideicommissis Quartæ deductionem moverat.

Hæc neutiquam eum in finem à me dicta sunt, ut hunc ætatis nostræ usum ac morem, qui non permitti modò, sed etiam præcipi potest, reprobem; verùm ut intelligatur (ignorantiam dicere vereor) libertas, qua Jureconsulti extremorum Seculorum freti Trebellianicam usque adeò extenderunt, dispositio Justiniani ut crederetur, aliis atque aliis disputationibus ex intervallo in apricum prolatis, an hæc filiis in primo gradu, atque extraneis hæredibus prohiberi possit; quasi verò Fideicommissa nostra ipsipsa veterum essent.

Memoravimus paulò antè, Romanos nullam Fideicommissorum uni vel pluribus, dum in vivorum numero degerent, eo pacto relictorum, ut in alios deinde transferrentur, habuisse notionem. Multò magis dicere nunc ausim, Longobardos, ac

Francos, olim Italiæ dominantes, quorum consuetudinibus juxta ac Legibus Italorum Tribunalia multo tempore maximam habuêre reverentiam, à faciendis Fideicommissis semper procul abfuisse. Videantur mox dictæ illorum Leges; examinentur membranæ, quæ ultimas eorum voluntates nobis exhibent; nec nomen, nec substantiam Fideicommissorum in iisdem reperias. Quamquàm dein Romanorum Leges Seculo XII. resuscitatæ vastissimam subtilitatibus, cautelis, ac Jurisperitorum inventis viam aperuerint, & Fideicommissa, ùt hodie mos fert, fieri cæperint, antiquas Leges in hanc rem detorquendo: nihilominùs ea non nisi rarò, & ab illis duntaxat fiebant, quos & genus avitum, & fortunarum attalici census commendârant. Et ad annum à puerpera Virgine millesimum supra sexcentesimum paucis plerumque circumscripta fuêre gradibus. Maximè verò post annum millesimum sexcentesimum Fideicommissa conferto velut agmine instar torrentis cujusdam violenti irrumpere cæperant. Siquidem non modò illustri genere sati, sed obscuro etiam loco nati exiguis rebus suis in seros annos, ac ventura Secula dominari voluerunt, & etiamdum volunt, ita, ut nimis frequentes hodie audias hæreditates, in plures generationes transferendas. Nobili sangui-

ſanguine ortos, opibúsque adfluentes juſtis de cauſis id facere poſſe autumo. Inter alia propiùs fidem eſt, abundantiam Familiarum, honeſtatisque amorem, inſuperhabitis hoc genus conditionibus, eſſe prohibiturum, ut ne Fratribus malè ſit proſpectum, néve Filiæ, ac Sorores ſint indotatæ. Verùm quod ad plebeios, & è trivio homines, quibus res anguſta domi, ſpectat; quî variorum Liberorum, ac Parentum neceſſitatibus conſulendum, ubi omnes fortunæ penes unum ſunt? quî temporum injuriæ providendum, ubi vix neceſſaria ad vivendum ſuppetunt? Ad Principem nempe, ut Legis gratiam faciat, confugient. Eccur igitur ſeris poſteris Leges imponere cupimus, ſi conſilia atque determinationes noſtras rectè & obliquè, per fas & nefas tam facilè mutari, aboleríque videmus? Eapropter ùt mox dictæ Proviſiones, in Pedemontio ſtabilitæ, eximiis ſunt ornandæ præconiis, ita optandum eſt, ut per omnes Italiæ Provincias dilatentur, ac diffundantur, ita quidem, ut ſi hæc gravis procella, támque vaſtus litium campus ex humana ſocietate penitùs eliminari nequeat, minimùm minuatur. Haud me fugit, hanc Symphoniam ab eo, qui è Fori proventibus vivit, minimè probatum, ſed iniquo animo latum iri, ſi mundus hac in re emendaretur, cùm plurimis ita fieri haud parùm

profit: Substitutiones enim & Fideicommissa ditissimum ac fructuosissimum Advocatorum, Procuratorum, Tribunaliúmque agrum esse aliàsdiximus. Ad hanc rem confirmandam facit, quod Guido Pancirolus de Baldo refert, eidem nempe solis Substitutionum Litibus quindecim aureorum millia accrevisse. Verùm omnes, quotquot publici commodi sunt studiosi, & maximè Principes, qui quadam ingenii abundantiâ præstantes præsentibus, atque futuris Politicis malis salutares adferre manus seriò cogitant, labores haud exantlabunt, animadvertentes, dicta à me hactenùs de Fideicommissorum excessu, à bonis principiis ortum ducere; idque eò magis, quòd alia Statuta videas, quæ eorundem continuationem per plures gradus prohibeant.


In iis dein Provinciis, in quibus Fideicommissa ascendentalia, deficientibus bonis liberis, ad restitutionem Dotium obligantur, & Fideicommissa ad dissolvendum æs alienum, justis de causis contractum, facilè eximuntur; ejusmodi consuetudines laudandæ, ac retinendæ sunt, tanquam pars illius potissimùm, quod contra stultam mortalium voluntatem contingeret, volentium, ut res post fata quoque, dum iis dominari ampliùs nequeunt, in potestate, ac mode-

moderatione ſua verſentur; quæ cauſa fuit, cur nonnulli ſingulari prudentiâ Viri Fideicommiſſa, tanquam naturæ Legibus contraria, haudquaquam permittenda eſſe exiſtimârint. Finem capiti huic impoſiturus dicere minimè dubito, quòd, ſi maximo beneficio Societatem hominum devincturus eſſet, quisquis eosdem ad denunciandas conſtitutis in hanc rem Judicibus fortunas ſuas, Fideicommiſſis obnoxias, adſtringeret, non minùs Reipublicæ univerſæ utilitatem aucturus eſſet, ſi idem de hypothecis, quæ tot etiam fraudes, ac lites pariunt, ſtatueret, cùm contrahentes, dum neſciunt, nec ſcire poſſunt, quibus præcedentibus conditionibus bona ac facultates implicatæ ſint, pactiones faciant, quæ denique in eorum detrimentum, atque perniciem cedunt. Erit fortaſſe, qui dicat, hoc pacto Rempublicam nimiis oneribus opprimendam eſſe; verùm huic extemplò reſpondebimus, facilius nihil eſſe, cùm vel quemdam conſtituere ſufficiat, qui ex Inſtrumentis rerum geſtarum Tabulario (Archivum vocant) exhibitis hypothecas ſaltem ſuperventuras colligat. Nec dicas, hac ratione plurimorum facta non ſine illorum detrimento pervulganda eſſe: nam quamdiu arcanum illorum operari ſerviat, ut eo-

 dem,

dem, si res tulerit, in aliorum incommodum uti possint? Cui tanta animi vis non est, ut aliis imponat, ei haud gravatè ferendum est, si antecedentes suæ pactiones, obligationes, ac conditiones Statûs sui non nesciantur; imò si earum conscius est, fide conscientiæ suæ easdem pro re nata protrahere tenetur. Lucem duntaxat odit, qui vel malè agit, vel malè agere cupit: & sanè potiorem publici commodi, quàm privati habendam esse rationem nemo unus negaverit. Videas etiam Regionem quamdam, in qua omnia incolarum bona, quæ solo continentur, denunciata sunt. Ad hæc publicus Codex est, in quem Creditores, quibus ita placet, credita sua referri curant. Qui primus id fecerit, in concursibus prioritate hypothecæ gaudet, & sic alii ex ordine, ita quidem, ut pactionem cum alio conflaturus, priùs Codices illos consulere, & quæ ejus sint facultates, quod æs alienum habeat, cognoscere, atque hoc pacto securum se reddere valeat. Omnia hæc media ùt laudibus ferenda, ita ad defendendos à fraudibus, technis, ac mala malorum hominum, veteratorúmque fide populos plurimùm conferunt, eáque propter dignissima, ut & in alias Regiones, in quibus necdum vigent,

vigent, inſundantur, inſuperhabitis eo potiſſimùm fine in tenebris ambulare volentium gerris, ut conſilia, ac compendia ſua ingenioſâ diſſimulatione velantes, iis dein, qui omnem in ipſorum veſtibus auro illuſis, ac inſtructiſſimis tabernis rationem poſuerant, ſtropham texant.



CAPUT XVIII.

An in agitandis Civilibus juxta ac Criminalibus caussis Græcorum & Latinorum, vel Hodiernorum ratio sit præferenda?

QUisquis vel primis, quod ajunt, labris eruditionem gustavit, satis exploratum habet, antiquis Græcis atque Latinis, quotiescunque causæ Civiles, vel Criminales agebantur, in more positum fuisse, ut Patroni utriusque partis rationes, Clientibus suis favorabiles, coram Judicibus exponerent. Hanc ob causam opus erat, ut Juvenes, ad eam exercitationem aptos sese reddituri, à primis incunabulis studio Legum, quæ id ævi pauciores erant, quàm quæ controversiis disceptandis ac dijudicandis satis essent, operam navarent; totum verò animum, omnémque curam Eloquentiæ accommodarent,

darent. Inde successu temporis usus declamationum super argumentis seu fictis, seu veris fluxit, quæ in Ludis summâ, qua poterant, dicendi gravitate & copiâ in utramque partem pertractabantur. Nec Juvenes duntaxat, sed etiam veterani ac annosi Oratores in domibus suis, aut Amicorum conventibus, acutis conceptísque ingeniosè sententiis declamabant, & in his fictis certaminibus id pondus verborum assequebantur, quod subinde in veris exserere oportebat. Profectò supervacaneum esse arbitror, ut hoc loco id referam, quod olim hac in re ipse Oratorum Latinorum facilè Princeps Cicero, Julius Cæsar, Seneca Rhetor, Quintilianus (si tamen declamationes, quæ in hanc horam exstant, ejusdem ingenii partus sunt) aliáque magna nomina præstitêre. Habemus nobilissimas eorundem Orationes, verborum & sententiarum floribus consperſas; habemus etiam Suasorias, Declamationes, ac Progymnasmata, omnia privatorum horum certaminum specimina, in queis incredibilem dexteritatem, singularem perspicaciam, ac magnificum illorum felicissimorum ingeniorum ornatum vehementer admiramur, atque suspicimus. Verùm alia omninò hodierni Fori facies est: siquidem in illo antiquam haud ampliùs eloquentiam

reperias. Sola ibi Jurisprudentia loquitur; hæc sola disputat. Omnis res in contradictoriis, vel allegationibus, ac Consultationibus est, in quibus Attica verborum mundities, & Latium corvo albo peregrinius, inque ejus vicem immoderata potissimùm sermonis barbaries, ac siccitas dominatur, quæ non modò Lectorem nullâ voluptate perfundit, sed summâ etiam, maximè ob immensam penè citationum farraginem, molestiâ adficit. Quid jam de diversa hac agitandarum litium ratione dicamus?

Observandum primò, quòd, auditis tot laudum encomiis, tantisque antiquæ artis Oratoriæ doctrinis, ac visis doctissimorum illorum virorum Orationibus, quarum totum orbem, atque adeò etiam nos heredes fecerunt, nemini in mentem venire debeat, sub eam tempestatem Jurisperitos æquè ac Oratores, ubi causa ad Tribunal delata fuit, continuò in arenam descendisse, atque copiosissimis ornatissimisque Orationibus super ea decertâsse: siquidem sub eam etiam ætatem contradictiones obtinebant, quemadmodùm hodie mos fert; & hic consuetus Fori usus erat, in quo Patroni Clientûm suorum rationes extemporali expositione deductas, Legibus,

bus, Conjecturis, Instrumentis, atque Testimoniis firmabant. Maximum dein Fructum capiebat, qui illarum rationum momenta clariùs, subtiliùs, & compositè magis exponere, atque in aspectum lucémque proferre poterat, quin vel adstringeretur, vel moris esset, ut castigatam & elegantissimè scriptam Orationem memoriæ mandaret, eámque in Judicum præsentia graviter diceret. Id ævi ejusmodi Orationes, curis & vigiliis elaboratæ, præcipuè in Græciæ Rebuspublicis, quas ferè totas plebs constituebat, vel saltem in iis partem habebat, quod & longo tempore in Romana obtinuit, necessariæ erant. Non modò ad Senatum, Prætorem, Decemviros, vel Centumviros, verùm etiam ad plebem, & non rarò de publicis negotiis verba facere oportebat.

At formâ ac facie Regiminis labentibus Seculis mutatâ, hoc genus elucubratis Orationibus, quarum multæ in Cicerone, plurésque in Græcis Oratoribus habentur, ubi de Reipublicæ negotiis agitur, haud amplius opus erat. A vero equidem minimè abludit, fuisse nonnunquam ob privatas quoque causas, sive civiles, sive criminales, Orationes recitatas; verùm id

rarò

rarò admodùm, & non nisi in majoris momenti controversiis fieri amabat. Id etiam hodie in regione quadam usu receptum esse videas, ubi Sermones quorumdam insignium Patronorum, multis lucubrationibus commentati, atque Atticarum Venerum succo imbuti omnium manibus teruntur. Persuasissimum mihi est, Patronorum Eloquentiæ etiam in extemporalibus Contradictionibus fore locum, si se in consuetudinem darent, super propositis argumentis ex improviso cum efficacia, adhibitis sententiarum, verborúmque figuris, cum perspicacia, atque ornatu differendi; à quo quàm longissimè plerumque nostri meri Leguleji absunt, nullâ prorsùs Eloquentiæ habitâ ratione, verborum portenta plenis faucibus evomentes.

Certè (fateor, quod res est) justæ nobis causæ sunt, nobiles illos Græcæ, ac Latinæ Eloquentiæ partus summis laudibus exornandi, atque admirandi, si acutissimum, & planè divinum ingenium, singularémque, quam viri Litteratissimi, & dicendi gloriâ præstantes in iis elucubrandis consumsêre, industriam animo & cogitatione percurramus. Nihilominùs pace vestra dixerim, id genus excellentem Eloquentiam, qualis illa Veterum fuit, hac

ætate

ætate in Tribunalibus non modò non eſſe neceſſariam; ſed ne quidem voto expetendam: ſiquidem Oratores illi minimè contenti, ſe Judicum gratiam pro viribus aucupatos fuiſſe, partémque adverſam phaleratis dictis in ſummam adduxiſſe invidiam; tam ſcitè, támque vivis coloribus rationes ſuas veſtiebant, adverſæ partis è diverſo in eam formam transferebant, ut non rarò mentes eorum, qui judicia exercebant, propemodùm è ſua ſede, & ſtatu dimoverent. Ad hæc nullum non movebant lapidem, ut admotis Eloquentiæ arietibus, ac inſidiis Judicum animos ad iram, miſericordiam, aliáſque ejusmodi commotiones flecterent. Qui alium dicendi genere ad hos animi motus introducendos, quod in arte Oratoria præcipuè requiritur, ſuperabat, in majorem ſpem veniebat, fore, ut in cauſis, maximè criminalibus, judicio vincat. Quamobrem illorum Ars Judicibus, ut ne æquum & verum inſpicerent, inſidias tendebat, ita quidem, ut Athenæus, ſuffragante Quintiliano Lib. XI. Cap. XVI. religioni ſibi haud duxerit, Rhetoricam *fallendi artem* vocare.

Idipſum Ariſtoteles Lib. I. Cap. I. Rhet. advertens, totâ cogitatione cupiebat, ut malo huic medicina ferretur, in hanc

hanc ſententiam ſcribens: *Non oportet in iram, aut invidiam, aut miſericordiam impellendo, à recto Judice flectere: ne ſimiles ei ſimus, qui eam, qua uſurus ſit, regulam priùs inflectit.* Et ubi uſum declamationum in Ludis litterariis, ac privatis domibus bene ponderabimus, nil niſi profeſſionem Carneadis, quam ſapientiſſimi quique Romanorum tantoperè averſati ſunt, fuiſſe reperiemus, id eſt, eandem rem laudandi vel vituperandi, eandem ſententiam ſuadendi aut disſuadendi, eandem cauſam defendendi impugnandíve provinciam in ſe ſuſcipere, ut ad vendendum omnibus, quotquot indigerent, ingenium ac linguam ſuam in quocunque argumento parati eſſent. Tantam in hac exercitatione, atque artis Oratoriæ peritia ſpem locatam habebant, ut nulla eſſet cauſa, tametſi afflicta, ac penè deſperata, quam non enthymematum efficaciâ, vivacium figurarum vi, ſonantiúmque verborum pondere meliorem redderent. Quos Græcia olim Sophiſtas appellavit, tantúmque ſuſpexit, ab Latinis Oratoribus parùm, vel nihil omninò differebant. Verùm compertô, eos ſophiſmata cauponari, magnóque ſtudio eniti, ut ingenioſarum & acutarum, quas proferebant, rationum inſidiis, atque fraudibus Judices æquè ac Auditores à vera via abducerent, dignitatem, exiſti-

existimationémque suam, tanquam homines non periculosi duntaxat, sed etiam Reipublicæ universæ oppidò perniciosi, turpi labe infecerunt. Cornelius Celsus dicere quoque non dubitavit, Oratores minimè id spectâsse, ut ardentes furiarum tædas, quibus agitabantur, extinquerent, sed ut victoriam reportarent. Et dum ita disserimus, non est consilium nobis, illos cùm ingenio acutissimos, tum studio & doctrinâ abundantissimos Oratores Græcos ac Latinos, quos etiam hodie in Operibus eorum summis honoribus colimus, maledico dente carpere, iisdem eos vitiis aspergendo; quamquàm mihi haud ignota sint verba Ciceronis in causa Cluentiana, objectas à se Judicibus tenebras gloriantis. Id unum dicere statui, Veterum nempe Eloquentiam securam haud fuisse viam, ut, qui de causis judicium pronunciabant, cognoscerent, quæ litigantium pars in controversiis æquum bonum haberet. Dixi: *Veterum*; nam cùm hodiernæ Eloquentiæ, quæ in sacris tantùm argumentis versatur, finis potissimùm sit, virtutes commendare, vitiáque persequi, omni discrimine vacat, eos, qui pro tribunali judicatùri sedent, ab illa perversum, ac fraudatum iri.

Hoc

Hoc ita conſtituto, optandum minimè eſt, ut Eloquentia, & ars Oratoria priſcorum Seculorum, velut Intermortua, in vitam denuò revocetur, Foróque reſtituatur. Nobis vulgaris noſtra cauſas in contradictoriis, atque Auditoriis agendi ratio ſufficit, quæ tametſi confundendis, ac perturbandis rebus eapropter haud exemta ſit, Judices ſaltem non pervertet. Non ampullis & ſeſquipedalibus verbis, aut ſubdolo artificioſæ Eloquentiæ lenocinio, ſed rationum momentis æquum & verum indagare oportet. Huic alius Fori noſtri uſus adjungatur, quem ad diſcernendas ſolidas ab infirmis, quas cauſarum Patroni alternis adferunt, allegationes (per me Conſulta dicas) ſive impreſſas, ſive manu exaratas, & utiliorem, & expeditiorem fateamur neceſſe eſt: an porrò iis Veteres uſi ſint, non adeò in promtu eſt dicere. Hoc pacto Judex nullo negotio accuſationes, & defenſiones Actoris & Rei ponderare poteſt. At ſi Judex duobus Jureconſultis, qui inter ſe certant, in contradictoriis aures ſuas præbet, fieri facilè poteſt, ut non rarò animo haud adſit, eáſque res, quas omni ingenii acie contemplari, atque excutere oportebat, malè percipiat. Profectò non deſunt, qui, tametſi multa dicunt, nihil dicant, verborum prodigi, & blaterones; vel

ſi quid

si quid in rem dicant, gerris logisque in perturbationem conjiciant, atque molestiis afficiant. Videas alios, qui in id genus certaminibus vel per ignorantiam, vel per malitiam Auctores, Leges, atque Decisiones adducant, quas, ubi accuratâ mentis trutinâ examinaveris, atque cum textibus seu verbis contuleris, ad instituti rationes, & quaestionem, qua de agitur, nihil facere reperies. Quid quòd his certaminibus etiam sophismata, atque paralogismi (faxit Deus, ut raró) immisceantur, quia disputantes vel se ipsi fallunt, vel in eo sunt, ut se ipsi fallant. Non omnes ita memoriâ valent, ut nihil ex illa effluat; nec omnes acrîs adeò ingenii sunt, ut falsas merces, quae in apricum proferuntur, confestim discernere queant, cùm mens auscultantium Judicum ad subsequentes Oratorum rationes intenta esse debeat. Jam his incommodis atque periculis per allegationum & consultorum à litigantibus productorum usum optimè consultum est. In suprema Pontificis Curia ejusmodi contradictoria minimè recepta sunt, hoc maximè nomine, quòd rationes, litteris mandatae, necessitati meliùs succurrant. Judici, munus suum expleturo, ad oppositas rationes studiosiùs expendendas, conciliandásve, atque

atque ad cognoſcendum, an adlatæ Leges, Deciſiones, Sapientúmque Auctoritates ſa bona fide ac opportunè ad quæſtionem faciant, nihil tunc quidem deeſt. Quo facto, controverſiam diſceptaturo nihil aliud reſtat, niſi ut ingenio, ac juſtâ voluntate ſuâ utatur. Fieri nihilominùs poſſet, ut ſententiam minùs æquam ferret; verùm id minimè fraudibus, ac dolis, qui ex parte Patronorum intervenerunt, ſed minori attentioni, & fortaſſis etiam occultæ cuidam commotioni, qua Judicis animus occupatus fuerat, tribuendum eſſe arbitror.

Quod dein ad paulò ante memoratas allegationes, aliáque hodiernorum Italiæ Jurisperitorum Opera attinet, nonnulli tota cogitatione cupient, ut ſtilo dicendíque genere uterentur terſo magis & caſtigato. Et ſanè videas hodie Theologos, Philoſophos, Medicos, aliósque ſcientiarum & Artium Doctores, in quorum ſermone mira Latii elegantia elucet. Verùm noſtris Jureconſultis in hanc horam inculta barbarorum Seculorum barbaries dominatur, quin vel minimum laboris in latinam linguam, aut etiam in vernaculam, qua non rarò utuntur, impendant. Mehercle nemo inficias iverit, ejusmodi ornamentum, quod in Alciati noſtri, Cujacii, Fabri, tótque

tótque aliorum Libris, & in eorum maximè scriptis admiramur, qui Jurisprudentiam publicè in Academiis docuêre, summis in Foro quoque nostro laudibus extollendum esse, non, quòd linguæ candor in consecutionem finîs, quem Jurisperitus sibi proponit, influere valeat; sed quòd sermonis elegantia ac nitor sit, vestis, ut ita dicam, quæ omnibus hominum operibus amœnitatem vel confert, vel auget. Nonnulli Jurisperitorum equidem Grammaticos derident; verùm etiam Grammatici quosdam Jurisperitos risu, quo facilè supersedere possent, excipere haud dubitant. Disputabant olim duo amicorum meorum magnâ animi contentione, qua ratione *Littera* scribendum esset: Unus eorum duobus, alius, expuncto altero, uno T. scribendum esse affirmabat. Accidit, ut hac super re dicam exercentibus primi Ordinis Doctor superveniret, qui, auditâ illorum quæstione, sententiam *ex Tribunali* tulit, utrumque fallere, ac *Lictera* scribendum esse dictitans; cujus rei confirmandæ gratiâ Eminentissimi Cardinalis de Luca, hoc pacto scribentis, auctoritatem adferebat. Quid, adducto tam classico Auctore, adhuc facto opus? Ausim etiam dicere, è re fore, ut, qui studium ad Leges convertit, in Eloquentia non omninò rudis, &

ἀμύητος sit, non ad elucubrandas verborum & ſententiarum luminibus corruſcantes Orationes, nec ad componendas vanas Chrias, aut juveniles Amplificationes, quibus & Orator, & Auſcultator fruſtra tempus perditum eunt. Jurisperito omnis in eo induſtria conſumenda eſt, ut non Leges duntaxat probè calleat, easdémque propoſitis quæſtionibus commodè aptare ſciat; verùm etiam ut ad indagandas rerum cauſas, ac rationes, quæ litigantibus vel favent, vel nocent, bene ratiocinari, atque Teſtatorum, contrahentiúmque mentem ſine prorogationibus, ſophiſmatis, ac paralogiſmis honeſtâ, & naturali conjecturâ aſſequi poſſit. Ad obtinendam inſuper cauſam non parùm confert, ut quis rationes, à ſe inventas, bene ordinet, ac perſpicuè, citra obſcuritatem, cum efficacia, verborúmque pondere proponat, ita, ut Judices eas nullo negotio penetrent, ac probent. Quamobrem eâ ſaltem Eloquentiâ inſtructus ſit oportet, quæ Legali Ratiocinio vim, virtutémque addere queat. Cæterùm id minimè ago, ut illos Jurisprudentiæ Tyrones damnem, qui in privatis conventibus ſub Magiſtri cujusdam diſciplina, qui multos annos in ejusmodi rebus verſatus eſt, pro veterum Declamatorum more, in fictis contradictionibus ſeſe exercent, ita

tamen,

tamen, ut semper id solùm spectent, quid sit justitiæ, quid sit veritati consentaneum. Hoc pacto illi se maturè ad artem, quam hodie plerumque annosi duntaxat, & provecti ætate viri addiscunt, vel dum maturiatas est, ut loquendi finem faciamus, aptos redditurí essent. Præcipuè verò cavendum, ne injustas defendere causas assuescamus: Magistrâ enim experientiâ in Scholis Lectores nosse didici, qui Discipulos in hac arte exercebant, insolitis ac paradoxis, ad acuenda magis illorum perspicacia ingenia, quàm ad investigandum propriè verum & justum, propositis conclusionibus.



CAPUT XIX.

Experimentum quarumdam Conclusionum circa nonnullas in Jurisprudentia controversas quæstiones, illius examini propositum, qui Statuta, & Leges condendi potestatem habet.

QUamquàm haud eam de me opinionem suscepi, ut, quod in tot tantísque Legalibus Conclusionibus, quas aliis atque aliis sententiis à nostris Jureconsultis in contentionem vocatas, & pessimo fato nec à Consuetudine, nec à Statutis firmatas esse videmus, stabiliendum aut reprobandum sit, consulere atque statuere possim: tamen cum prudentissimis quibusque Magistris, & maximè cum Schola Romana, in qua ipsam Jurisprudentiam sedem suam fixisse credas, nonnullas id genus Conclusiones, præ aliis, ùt mihí qui-

quidem videtur, decidendas notabo, ita, ut his insuperhabitis, qui Auctoritate & majore ingenio pollet, eas diverso planè modo decidere valeat.

I. Testamenta, queîs Pater, vel Mater, Avus, vel Avia Liberis, aut Nepotibus legitimam, tametsi sine *Institutionis* nomine, ac titulo relinquunt, valida censenda sunt.

II. Siquis heres usufructuarius, vel etiam certæ cujusdam rei institutus est, & Testator fatis concedit, quin heredem universalem declaret, illius hereditas ad eum pervenire debebit, qui secundùm Leges & Statuta *ab intestato* ad eandem vocatus est, non verò ad illum, qui *ex beneficio juris accrescendi* in parte institutus est.

Cùm hìc Testatoris voluntas incerta sit, nec de illa satis constet, vis & voluntas Legis omnes subtiles opiniones, ac aëreas præsumptiones illius vincere debet, qui Testamentum in aliorum gratiam condere voluisset.

III. Siquis heres instituitur, &, ipsò fortè sine Liberis aut Descendentibus è vita migrante, aliæ personæ substituuntur, quamquàm ipse heres ante Testatorem è vivis excedat, nihilominùs ejus Liberi aut Nepotes in hereditate substitutos, & omnes,

quotquot *ab intestato* aliàs succedunt, excludent.

Hæc est famosa controversia de Liberis *in conditione positis*, quemadmodùm Jurisperiti loquuntur; quæ causa fuit, cur innumeri penè Doctores in certamen descenderint, modò his, modò illis victoriam reportantibus. Ratio publici commodi requirit, ut tam magna lis incidatur; esse autem modo paulò ante dicto decidendam, ratio naturalis persuadet: evidens enim est, Testatorem majore in heredis instituti Liberos, quàm in substitutos, & eos, qui *ab intestato* succedunt, amore ferri. Aliæ dein quæstiones circa *Liberos in conditione positos*, ad defendenda, vel abroganda Fideicommissa, moventur; quales sunt de Spuriis, vel iis, quibus natalium dedecus per subsequens Matrimonium, vel per Rescriptum Principis deletum est. (Legitimatos Jurisperiti dicunt) quemadmodùm etiam de iis, qui sunt in linea transversa, & aliis punctis, quæ occurrerunt, vel occurrere possunt. In rem omnium erit, si Legislator pro sua prudentia contendat, ut vastum hoc, & intricatum disputationum, ac Litium seminarium tollatur.

IV. Fideicommissum cessabit, quotiescunque institutus heres cum conditione, ut, ipso sine Liberis (sub hoc nomine etiam Nepotes,

Nepotes, aliique Descendentes comprehendentur) mortalitatem explente, alia persona suceedat, Filium, aut Nepotem unius alteriúsve sexûs relinquit, nisi ex verbis, aliisque argumentis manifestè appareat, Testatorem vel continuatum Fideicommissum voluisse, vel de solis masculis locutum fuisse.

V. Si Testator bona ac facultates alienare vetat, ardentérque cupit, ut agnatio conservetur, ad inducendum Fideicommissum apta erunt argumenta.

VI. Quisquis Fideicommisso gravatus est, tacitam in liberis suis facultatibus contraxisse hypothecam judicabitur, quæ contra ipsum valebit, si bona ipsius Fideicommissi vel distraxerit, vel malè administraverit; idque tametsi de Liberis agatur.

VII. Cuicunque licitum sit, deductionem Trebellianicæ institutis heredibus prohibere, exceptis iis Regnis, ac Provinciis, in quibus per consuetudinem, vel Statutum illa Liberis in primo gradu prohiberi nequit, Socini cautelâ non adhibitâ.

VIII. Si Testator Liberos heredes, eorúmque Matrem usufructuariam, relinquit, Bulgari consuetudini locus erit; nempe illorum Mater, præter alimenta, exigere nihil poterit; nisi Testator animi sui sensa,

voluntatémque ſuam in Uxoris gratiam explicatiùs aperuerit.

IX. Primo herede ejúsque Deſcendentibus (ſi ſunt vocati) diem ſupremum obeuntibus, & ſi primus ſubſtitutus vel fatis ceſſit, vel hereditatem adire recuſat, in illa per ſubſtitutionem anomalam ſecundus ſubſtitutus, & ſic alius ab alio ſuccedet; ſi modò primus ſubſtitutus à morte non reliquit Liberos, vel alios Deſcendentes, qui vocati fuerunt; quo facto hi in Patris locum ſuccedent.

X. Pupillo, cui Pater, vel Avus paternus per paternam poteſtatem quemdam ſubſtituit, in ætate pupillari è vivis abeunte, Mater à Filii legitima non erit excluſa, Idem de Patre vivente dicendum eſſe exiſtimo.

XI. In ſimplicibus & ordinariis Fideicommiſſis, in unam lineam introductis, ſi gravati deſint, donec potentia, & ſpes affulget, fore, ut alii ejusdem lineæ capaces, & vocati ſupervenire poſſint, ùt vel maximè ſi Uxor ultimi gravati eſt gravida; ingreſſus alterius lineæ in poſſeſſione Fideicommiſſi ſuſpenſus erit.

XII. In ſubſtitutionibus reciprocis cuilibet Filiorum legitima ſua libera ſit oportet; nec Fideicommiſſo ſubjecta.

XIII.

XIII. Tacita reciproca substitutio inter lineas Filiorum, aut Nepotum Testatoris institutorum admittetur; nec ulla illius hereditatis pars ad eum deveniet, qui illis lineis substitutus est, nisi fortè ultimus vitam cum morte commutavit.

XIV. Si descendentes Testatoris, vel genus illud priùs vocatum extinguatur, & substitutus succedat, in illo Fideicommissum terminabitur, nisi Testator conceptis verbis mentem suam declaraverit, ut id continuetur.

XV. Fideicommissum cum potestate à Testatore heredi gravato factâ, ut facultates ac fortunas arbitratu suo alienare possit, componi valet. Et de his etiam in suprema voluntate disponere poterit, ita tamen, ut minimùm quarta pars illarum in substitutorum gratiam restet, nisi potestas etiam de omnibus disponendi expressa fuisset.

XVI. Institutio heredis usufructuarii in Legatum ususfructûs resolvetur, ita, ut heres proprietarius heres primus, & directus usque eò existimandus sit, dum manifestè non apparuerit, Testatorem instituisse Fideicommissum.

XVII. Nomine mobilium domûs, vel omnium Mobilium in Legatum relictorum, nec gemmæ, nec aurea, aut argentea vasa, nec

nec præſens pecunia, nec merces, aut Animalia, nec vinum, vel frumentum, nec caro ſale condita, aut oleum, alliáve eſculenta venient.

XVIII. Legatum conditionale, eáque propter ob mortem, quam Legatarius priùs obit, caducum exiſtimabitur, quando tempus ſubſtantiam diſpoſitionis reſpicit, uti foret, ſi puellæ cuidam dos relinqueretur, ubi ad hanc, vel illam ætatem pervenerit, vel poſt fata cujusdam.

XIX. Non prohibitâ à Teſtatore in Fideicommiſſis Trebellianicâ, tametſi heres indicem rerum non conficiat, iis orbus haud eſſe cenſebitur.

XX. Statutum, Feminas à Succeſſione *ab inteſtato* excludens, vocatas per teſtamentum non excludit.

XXI. Relictis à Teſtatore cuidam Puellæ quingentis Philippeis, ſi, nuncupato perpetuæ Virginitatis voto, DEO in parthenone quodam ſacramentum dixerit; mille verò, ſi tori conſortem acceperit: Sacrarum Virginum cœnobium ingreſſa, quingentos tantùm Philippeos conſequetur.

XXII. In Litibus Fideicommiſſariis ſecundùm eum judicabitur, qui proximior eſt gravato, quàm gravanti, niſi Teſtator apertè aliter declaraverit.

XXIII.

XXIII. Fideicommissum ordinatum cum clausula: *si sine Liberis decedat*, subsistet, quamquàm heredi nullus unquam Filius nascatur, reprobatâ in hoc Oldradi sophisticâ doctrinâ.

XXIV. In dubiis materiis Judicibus *regulariter* secundùm exclusionem Fideicommissi, & continuationis ejusdem pronuntiandum erit, quotiescunque fortia & convincentia argumenta non adsunt, Testatorem contrariæ fuisse mentis, ac voluntatis.

XXV. Alienatio fortunarum Fideicommisso obnoxiarum reipsa facta, & sub pœna caducitatis prohibita, substituto viam aperiet, nisi alienans & Fideicommissi, & pœnæ ignorantiam planè probet.

XXVI. Quotiescunque Testator in Fideicommisso studiis in Agnatos inclinat, & maximè si de masculis loquitur, Feminæ, ac feminarum masculi exclusi erunt.

XXVII. In dubiis substitutionum, & Fideicommissorum controversiis Agnatos inter & cognatos, vel extraneos, semper secundùm Agnatos pronuntiabitur.

XXVIII. Si de collateralibus vel extraneis in Fideicommissum institutis agitur, fructus, è facultatibus, ac bonis eidem Fideicommisso ligatis percepti, Trebelliani-

cæ

eæ imputandi erunt: ad quod Liberi & Descendentes non tenebuntur.

XXIX. Testatore Patrem ac Liberos ad Fideicommissum vocante, si illi descendentes fuerint, ordine successivo vocati dicentur. Si autem collaterales, aut extranei fuerint, Pater, ac Liberi in æquales partes vocati erunt.

XXX. *Descendentium* nomine non masculi modò, sed & Feminæ venient, nisi Testatorem contrariæ fuisse mentis liquidò constet. Similiter naturales, sed non incestuosi, ac spurii sub eo nomine comprehenduntur. Nihilominùs naturales eousque, dum lineæ legitimorum durabunt, in Fideicommissis exclusi erunt.

XXXI. Irrita ac nulla erit voluntas atque dispositio, Captatoria à Jurisperitis dicta, per quam alter alteri facultatem sui locò testandi committit, tametsi dispositio in commodum causæ piæ cederet.

XXXII. Quamquàm Testator eorundem verborum, quæ in Derogatoria præcedentis Testamenti clausula posuit, non recordatur; tamen ubi ipsam Derogatoriam claris atque perspicuis verbis abolet, ultimum illius Testamentum prævalebit, nisi præcedens cum Derogatoria in Filiorum, aut Agnatorum gratiam fuisset: quo casu ad evertendum, ac abolendum testamentum

tum clausula speciatim designetur necesse erit.

His insuperhabitis consultius, siquid ego sentio, foret, si decerneretur, nullam ejus Derogatoriæ habendam esse rationem, ubi Testator subsequens Testamentum facit: Cùm enim id genus clausula ad eum deludendum inventa sit, qui vel vi, vel assentationibus, aliisve artibus personas ad testandum in sui favorem inducere vult, tametsi voluntas de rebus suis disponere cupientis repugnet; advertendum est, personas eodem prorsùs modo, nempe iisdem assentationibus, artibus, ac violentiis ad componendum testamentum paulò antè dictâ clausulâ ligatum trahi posse. In æquali ergò seductionis periculo meliùs videtur, Derogatoriam omni vi privare, atque enervare, hac ratione Legi, ac Juri naturali se conformando, per quas in cujusvis situm est potestate, testamenti tabulas ad arbitrium suum condere, ac mutare.

XXXIII. Siquis heres sit institutus, eique alia persona substituatur; hac substitutâ sine Liberis præ illo fatis concedente, hereditatis ita potietur, ut illum, qui aliàs *ab intestato* succederet, excludat; siquidem Testator, nemine nominato, satis ostendit, se nullius habuisse rationem.

XXXIV.

XXXIV. Heres beneficiarius fructus hereditatis non faciet suos, quotiescunque Creditorum aliquis manifestè adest.

XXXV. Legatum, quod Parens Filio, aut Filiæ, reliquit, Legitimæ & Trebellianicæ imputabitur, quando de diversa Testatoris voluntate non constat: minimè verò doti imputabitur, quæ Uxori relicta fuit.

XXXVI. Legatum Creditori factum, non existimabitur in compensationem debiti factum esse, nisi Testator disertis verbis declaraverit.

XXXVII. Si de hereditate lucrosa agitur, pupillus, pubertati vicinus, eandem sine Tutoris auctoritate adire poterit.

XXXVIII. Si Testator vult, ut bona sua in Descendentibus suis conserventur, cum facultate tantùm ea inter ipsos Descendentes vendendi, omnis alienatio, etiam per viam Testamenti, in personas non descendentes erit prohibita. Et quotiescunque Testator de descendentibus masculis loqueretur, nec feminis, nec feminarum filiis, tametsi descendentes sint, vendi, aut relinqui poterunt.

XXXIX.

XXXIX. Tempus statuendum erit, intra quod Heres præsens, nec ignorans hereditatem adeat. Secùs ad illos devolvetur, qui *ab intestato* veniunt. Et si is sub id temporis humanis rebus valedicat, quin hereditatem adierit, illam hereditatem ad Heredes suos transmittere haudquaquam poterit.

XL. Nihilominùs Pupilli, & Heredes, à Lege vocati sui, ac necessarii, quamquàm intra mox dictum temporis spatium vitæ finem faciant, quin hereditatem adierint, illam transmittent, nisi Testatoris voluntas obstet, &, cùm res exiget, beneficio Legis ac Inventarii, ùt Jureconsulti loquuntur, gaudebunt.

Alias quæstiones circa hereditatum aditionem, & quod ad pupillos & minores attinet, videas, quando nempe sine illa transmitti possunt, vel non possunt. Has omnes ut potiùs Legislator, partium minimè studiosus, pro sua prudentia, quàm Judices corrupti pro libidine sua decidant, omnibus votis expetendum est. Præterea observandum, Statuta Mutinense, ac Mediolanense decernere, ut, quisquis est Heres, *ipso jure* omnes defuncti Testatoris facultates possi-

dere intelligatur; id quod plurimùm ad ſubtrahendam multarum Litium materiem confert.

XLI. Heres ſtato tempore Indicem, ſeu Inventarium non conficiens, jus Falcidiæ amittet. Nihilominùs minores ac feminæ *in integrum* erunt reſtituendæ.

XLII. Illud Teſtamentum erit inofficioſum, quo Pater minùs, quàm ſit Legitima, Liberis relinquit, illíque ſupplementum obtinebunt. Nec intra quinquennii ſpatium querela Teſtamenti, vel inofficioſæ donationis præſcripta erit, ſi de Minoribus, Feminis, vel aliis Perſonis, ejusdem actûs ignorantiam probantibus, agitur.

XLIII. Quotiescunque Hereditas ab uno ad alium devenire debet, vel de uſufructuario res eſt, quamquàm Teſtator Heredem, vel Uſufructuarium à conficiendo Bonorum Indice, ſeu Inventario eximat: tamen Subſtituti, vel Heredes proprietarii eum ad idem conficiendum adſtringere poterunt.

XLIV. Ubi Filiæ cuidam dos per legatum relicta eſt, ſi illa nupſerit, eandem nec conſequi, nec tranſmittere ſine Matrimonio poterit; ſed legitimâ ſuâ contenta ſit oportet. Circa hoc alii caſus dari poſſunt, quibus providendum eſſet, declaran-

rando, quænam sint Legata pura, quænam conditionalia.

XLV. Si Statuto aliter non sit cautum, atque sancitum, Legitima exclusorum & incapacium Liberorum aliis capacibus Liberis accrescet.

XLVI. Præteritio Filii, qui in Religioso Ordine voti Religione DEO sese consecravit, in Testamento paterno facta, nihil admodùm illud vitiabit.

XLVII. Legatum Dotis à Patre relictum Filiæ, vel alteri puellæ, quando dein eam nuptui collocat, atque dotat, cessabit, quamquàm ipse plures annos illi superstes sit, testamentique tabulas non mutet.

XLVIII. Præscriptum à Legibus circa infirmitatem, seu nullitatem Testamentorum non receptorum, nec à Tabulario (Notarium vocant) publicatorum accuratè servabitur, quin in hoc restrictio admittatur, nisi Testator auditis, & præsentibus Testibus, à Jure requisitis, voluntatem suam Tabulario cum nominatione Heredis significâsset; idquod valebit, tametsi ob illius mortem, qua pòst paulò functus est, scriptura non sequeretur.

XLIX. In interpretando ancipitem Testatorum voluntatem illâ interpretatione stabitur, quæ magis Regionis Statuto, quàm Juri communi consentanea est.

L. Tametsi quis, interpositâ etiam

ſacramenti religione, ſeſe obſtrinxerit, vel nullas omninò, vel poſt primas haud alias ſe conditurum eſſe teſtamenti tabulas, nihilominùs teſtari poterit, illiúsque Actus in Foro civili validus erit. Et ſi fides in contractu quæſtuoſo data eſſet, ejus actiones, qui contra Teſtatorem, vel contra illius hereditatem læſus eſt, vivæ erunt. Et tametſi quis in id genus caſibus jusjurandum irritum eſſe exiſtimet; tamen, ut conſcientia in vado ſit, ab Epiſcopo abſolutionem impetrare oportebit.

LI. Cùm ipſæ Digeſtorum Leges in quæſtione, an Heres inſtitutus, hereditatem repudians, prælegatum à Teſtatore ſibi relictum obtineat, nec ne, ſibi invicem contrariæ eſſe, atque diſcrepare videantur; imposterùm decidetur, quòd illud, ſive parvum, ſive magnum fuerit, adipiſci queat.

LII. Si Teſtator plures Perſonas, ſive Parentes, ſive externi ſint, inſtituat, ea lege, ut, deficientibus Heredibus ſine Liberis, templum quoddam, vel aliud religioſum ædificium exſtruatur, ejusmodi conditio non adimplebitur, niſi omnes mox dicti Heredes ſine Liberis defecerint.

LIII. Pluribus perſonis collectivè ad hereditatem quamdam cum clauſula: *ſi ſine Liberis*, vocatis, ſi vel una illarum Filium poſt ſe relinquat, ſubſtitutus erit excluſus.

LIV. Ad

LIV. Ad dotandas congruenter Filias, aut Nepotes *ex Filio* Heredis gravati, vel Fideicommissarii possessoris, poterunt cum Decreto Judicis bona Fideicommisso non tantùm ascendentali, sed etiam collaterali separari, ac obligari. Et idem erit ob restitutionem Dotium, earundémque augmenti.

LV. Si Filii ex diversis Fratribus Cognati sui instituti, aut substituti, & alius ab alio nominati fuerint, simul *in capita*, & non successivo ordine succedent.

LVI. Statuto decernente, ut, existentibus Filiis, Filiæ in bonis Patris, ac Matris *ab intestato* non succedant, etiam Frater Uterinus sororem uterinam excludet.

LVII. Jus exigendi Legata ad Heredes Legatarii transmittetur, si modò Legata non sint affecta conditione externâ necdum expletâ, & cujus expletio ab ipso Legatario dependeat.

LVIII. Si Testator Heredem instituit, quisquis non est ex Ascendentibus, aut Descendentibus, & Uxorem usufructuariam, ac dominam relinquit, hæc pleno omnium bonorum usufructu gaudebit, dum hac luce fruetur.

LIX. Exceptio compensationis, ubi quis promisit, se eandem non oppositurum, æsque alienum dissoloturum esse, opponi nequaquam poterit, quando æs alienum certum est, compensatio autem anceps & dubia.

LX. Obligationes à Filiisfamilias, inscio & invito Patre, in contractibus initæ, quamquàm sacramento fidei fuerint confirmatæ, invalidæ erunt, censebuntúrque dolosæ, ac meticulosæ, ubi Filii non sunt emancipati, vel domesticam curam cum propria familia non agunt, vel mercaturas cum usuris, quæ sint à paternis separatæ, non exercent, ita tamen, ut semper conscientiæ ratio sit habenda.

LXI. Cùm jusjurandum sit, ut ita dicam, sal, quo Tabularii omnes Contractus condire assolent, quin contrahentes plerumque vim illius sciant, vel comprehendant; hoc tamen eosdem contractus ne minimùm quidem validos reddet, si dolus, fraus, error, aut læsio, digna Judicis remedio, intervenerit, vel si donationibus insinuatio à Legibus requisita defuerit, aut Minores securitatem præstiterint, in qua læsio intervenit. Et obtentâ à Sacrorum Præsule facultate, procedetur, quasi non fuisset datum.

LXII. Si renunciatio facta à filia dotata ad successionem bonorum paternorum juxta ac maternorum valet, etiam pro illius Filiis valebit, tametsi ab ipsa non nominatis, reservato semper ipsis Filiis jure proprio in successionibus, & Fideicommissis, ad quæ independenter à Patre, ac Matre vocati sunt.

E re foret, si materia renunciationum cum variis aliis conclusionibus ita componeretur,

retur, ut multis litibus à controverso earundem valore pullulantibus, via præcludi posset, defendendo maximè agnationem, ac legitimam Liberis debitam.

LXIII. Expressa aut tacita Dotium hypotheca vim virtutémque suam primùm in actu, quo Matrimonium contrahitur, habere incipiet.

LXIV. Evictio à donatore ob rem donatam promissa, intelligetur solùm ob suum datum, & factum, si aliter non sit declaratum, aut de donatione remuneratoria non agatur.

LXV. Donatio omnium bonorum, quin aliqua reserventur, quæ Testamento relinqui possint, erit prohibita, ac nulla, quamquàm jurejurando confirmata.

LXVI. Donatio à Patre facta inofficiosa erit, si Liberis Legitima non reservatur, idque etiam, si ad causam piam facta fuisset, considerando in ejusmodi casu tempus donationis, & non mortis. Nihilominùs Liberi præter ipsam Legitimam nihil consequi poterunt.

LXVII. Acceptio Tabularii jurejurando firmata in donationibus & cessionibus, quæ absentibus sunt factæ, maximè ubi sunt lucrativæ, favorabiles, & non obligatoriæ, valida erit, ac ita quidem, ut donanti pænitere non sit licitum. Donatarius nihilominùs intra certum temporis spatium paulò

ante dictam acceptationem ratam habeat oportet.

Terribilem inter veteres Italiæ Jureconsultos, quorum unusquisque sententiam communibus studiis receptam pro se adducit, pugnam visurus, eorum volumina super hoc argumento Lectitando volvat. Satiùs, opinor, est, magnam hanc Doctorum contentionem detruncare, quàm variis litibus in Tribunalibus portam relinquere apertam.

LXVIII. Lucrum dotium non erit debitum, nisi Matrimonio consummato.

LXIX. Statutum, Feminas à successionibus excludens. hereditatem Clerici *ab intestato* non complectitur.

LXX. Negligens Procurator, qui in Clientem suum sententiam ferri patietur, quin scripturas, ac instrumenta produxerit, exceptiones, & rationes adtulerit, aliósque actus, qui muneris sui sunt, fecerit, causam deserendo, ad omne damnum, & impensas adstrictus erit. Clienti autem læso provocatio ad aliud Tribunal, vel recognitio, vel restitutio *in integrum* concedetur.

LXXI. Tabulariis, quorum est scire, quid Leges, aut Statuta in Donationibus, Testamentis nuncupativis, cui sunt Liberi, vel alii Descendentes sive præsentes, sive absentes, vel Uxor, quæ gravida esse potest, & in aliis ejuscemodi casibus decernant, penna aut

aut suspendetur; aut eripietur, si Testatores, vel Contrahentes officii sui non commonent.

Eorundem Tabulariorum ignorantia non paucis litibus ansam præbet. Quam ob rem id genus graves honores non nisi viris summâ religione præditis, ac omni doctrinâ politissimis deferendi essent. In hanc rem Antonii Tessaræ Volumen eruditum *De Excessibus, Erroribus, & Peccatis Notariorum* Francofurti An. 1591. excusum legi meretur.

LXXII. Donatio ob nuptias, à Patre, Matre, Avo, vel Avia, Filii, Nepotis, aut Pronepotis Uxori facta, in asse respectivorum donantium conferenda erit, nec portioni hereditatis ad eum pervenientis, qui uxorem duxit, imputabitur, si eadem hereditas cum aliis vel Liberis, vel Nepotibus, vel Pronepotibus dividenda est.

LXXIII. Quamquàm pœnas à Jure Civili in Feminas, quæ matrimonium ineunt, sancitas Jus Canonicum remiserit; tamen Legata annua & successiva, à primo Marito ipsis relicta, perdent, ubi Liberi ex eodem primo Matrimonio adsunt, nisi Testator apertè contrarium statuerit.

LXXIV. Cùm in viris, ad secundos thalamos procedentibus, non concurrant argumenta, ob quæ ab antiquis Legibus Uxores, quæ ad secundas nuptias transibant,

commodis, à primo Marito ipsis relictis, privabantur; hinc Legata à defuncta Uxore Marito relicta durabunt, tametsi hic sibi rursùs aliam solemni hymenæo junxerit.

LXXV. Donatione pluribus personis cum expresso pacto factâ, ut, deficientibus Donatariis sine Liberis, res ad Donantem redeat: Si unus illorum Donatariorum sine Liberis diem supremum obierit, ipsius portio ad Donantem, vel ad Heredes suos redibit, tametsi alii Liberos haberent, nisi de contraria ejusdem Donatoris voluntate ad litteram constaret, vel si tantùm de donatione remuneratoria ageretur.

LXXVI. Intercessiones clandestinæ tam antè, quàm post donationes, pactiones, & renunciationes factæ, quamquàm de Personis res esset, in quas timor reverentialis cadere possit, irritæ, ac nullæ erunt; in Tabularios autem pœna constituetur, quòd eas admiserint.

LXXVII. Tutori, Creditori Hereditatis, si longo temporis intervallo eandem administraverit, creditum suum dissolutum esse censebitur, nisi contrarium certis argumentis firmaverit.

LXXVIII.

LXXVIIII. In Officio, ubi bona Fideicommisso, Primigenituræ, aut Majoratui subjecta in tabulas referuntur, etiam donationes *inter vivos* factæ, reservando sibi illarum usumfructum, dum vita suppeditabit, in tabulas referendæ erunt.

LXXIX. Secundùm regulam confessio Dotis facta à Marito, *constante Matrimonio*, in iis locis simulata esse censebitur, ubi Statutum Uxoribus donationem vetat, si non numeratio pecuniæ, vel promissio Dotis, inito necdum matrimonio facta, probatur.

LXXX. Obligatio, æqualitatem bonorum inter Liberos observandi à Patre facta non existimabitur esse pactum *futuræ successionis:* quemadmodùm nec pactum inter Fratres, ut, si quis eorum sine Liberis animam egerit, portio illius ad alios transeat, si modò tantum fuerit reservatum, ut testari possit.

LXXXI. Obligationes in carcere ab eo factæ, qui haud injuriâ in illum conjectus est, validæ erunt; contrà verò invalidæ, qui contra jus fásque vinculis mandatus est.

LXXXII. Pacta, tametsi injusta, in fun-

fundatione censûs apposita, eundem non vitiabunt, si modò protestatio, omnia secundùm Constitutionem Pontificiam faciendi, apponatur, vel ipsa pacta non sint contra substantiam, sed circa dispositionem duntaxat ipsius diplomatis Pontificii.

LXXXIII. Pactum in venditione censûs appositum, ut Venditor elapso certo temporis intervallo ad eundem redimendum adstringatur, illicitum erit, censúmque in merum mutuum mutabit.

LXXXIV. Factâ ob extinctionem censûs contradictione, aut insinuatione, Dominus illius Censuarium ad eundem post menses duos extinguendum cogere poterit.

LXXXV. Census debitis adjunctis, seu circumstantiis, quamquàm cum scriptura privata, facti, defendentur, ita tamen, ut ne Creditoribus ab instrumento instructis fraudi esse possint.

LXXXVI. In Creditorum concursu, & extra illum præscriptio fructuum maturorum, & non exactorum censûs, vel alterius crediti decem annorum spatio dabitur, nisi instantia, ùt Jurisconsulti vocant, ob illos intra decennium secundùm leges facta fuisse probetur.

LXXXVII.

LXXXVII. Pactum relinquendi alternis Heredes in iis Regionibus, ubi huic alia ratione Statutum non consuluit, à Marito, & uxore factum invalidum erit.

LXXXVIII. Pactum redimendi intra constitutum tempus venditum fundum etiam ad Heredes transit; & tertio cedi potest. Transacto illo spatio, quin Venditor eundem redemerit, vel redemtionem deponendo pecuniam indicaverit, redemtioni non ampliùs locus erit.

LXXXIX. Jurisjurandi venia seu Absolutio ab Antistite pro eo, qui in Contractibus læsus esse existimatur, peti, ac impetrari potest, quin pars adversa citetur.

XC. Pater, quem impotentia haud excusat, ad alendum quemcunque inopem Filium, sive naturalem, sive adoptivum, sive spurium jure obstringetur. Et hæc obligatio in defectum Patris ad Avum paternum, & in hujus defectum ad Cognatum paternum transibit.

Aliæ adhuc controversiæ inter Doctores super alimentorum argumento exæstuant, à quo nempe, & quónam tempore illa præbenda sint, ita, ut non pauci eorum asserant,

rant, pauperem, qui haud injuriâ li e n ferit, à reo, durante eâdem lite, non alendum duntaxat, sed ab hoc etiam impensas ipsius litis esse solvendas; id quod alii negant. In rem quoque haud dubiè foret, si id decerneretur, quod conveniens magis, ac justum esse crederetur.

XCI. Alimenta, quæ Filius Matri, & Mater Filio præbuit, donata fuisse censebuntur.

XCII. Alimentorum nomine non modò esculenta, ac vestitus, sed pro qualitate Testatoris etiam habitatio, medicamenta, aliáque commoda ad arbitrium Judicis, & pro ratione annuorum fructuum, seu redituum illius, qui ad alendum obstrictus est, venient.

XCIII. Antiqua consuetudo earum Regionum servabitur, ubi Libellus, tametsi pro Filiis ad tertiam usque generationem, vel cum aliis id genus restrictionibus datus sit, si modò cum clausula *ad habendum, tenendum, & quidquid placuerit faciendum,* scriptus est, ad quemcunque Heredem, illius capacem, transit, atque ad Libellarii arbitrium cum prævie facta Domino directo oblatione alienari poterit.

XCIV.

XCIV. Quotiescunque clausulæ Libelli potestatem alienandi important, Libellarius de eo non modò in supremis voluntatibus disponere, sed etiam facere poterit, ut ad Heredes suos *ab intestato* transeat.

XCV. Si Donator omnium bonorum suorum apertè non etiam futura exprimit, tantùm præsentia donâsse existimabitur.

XCVI. Renunciatio à Donatore *L. si unquam C. de Revoc. Donat.* facta irrita ac nulla erit, quotiescunque Donanti nascuntur Liberi, ita, ut donatio abolita maneat, nisi res, quæ donata fuit, exigua esset comparatè ad Donantis facultates.

XCVII. Sublato per mortem Mariti Matrimonio, dum Dos apud ejus Filios, vel Heredes erit, conveniens ex Regionum more fructus Viduæ debebitur, tametsi illa ad alteras nuptias procedat.

XCVIII. Judicium Civile contra Filiumfamilias, sub patria adhuc constitutum potestate, sine Patris consensu intentatum, nullum erit.

XCIX. Debitor cum hypotheca non poteris

poterit in Creditorum detrimentum repudiare hereditatem, cùm ad id etiam fide conſcientiæ ſuæ adſtringatur.

C. Præceptum Teſtatoris non accipiendi Tori conſortem niſi de Familia ſub pœna privationis Hereditatis validum erit.

Optandum dein foret, ut Uſurarum materia tantis ſcrobibus intercepta, ac in hanc horam tam diverſis Theologos inter & Jurisperitos ſententiis agitata in novum, eúmque ſtabilem redigeretur ordinem, decernendo, quibus in caſibus permittendum ſit, ut pecunia illi fructum ferat, qui eandem alteri mutuam dat. Inventio æquè ac Cenſuum approbatio, quæ qualitatem mutui in alium Contractum mutat, laudabiliſſima fuit. Laudari quoque meretur, fuiſſe permiſſum, ut Montes à pignoribus exiguum & modicum quemdam fructum exigant. Idem de Cambiis, aliisque honeſtis Conſuetudinibus dicendum, quæ ab Orthodoxis populis nullo negotio receptæ ſunt, ita, ut generalis illa propoſitio: *nummus non parit nummum*, ad arctiores terminos reducenda foret. Verùm aliæ adhuc ſunt pactiones, Contractus, & conſuetudines, quibus Principes, & maximè regendis aliorum animis,

mis, moribúsque præfecti, nullâ interpositâ morâ regulam definiant, vetando, quæ non conveniunt, permittendo contrà, quod reliquum est. Videas hìc Auctores in varias abire sententias, hos in rigidas, alios è diverso in laxas nimis. Via media esse deberet regia, atque secura. Certum est, quòd principiis Legis Christianæ, quæ est Lex Caritatis, & Justitiæ, magnoperè repugnet, ex Mutuo puro, vel palliato fructus exigere, meritóque quemcunque pecuniæ contractum damnari, qui eò tendit, ut Proximum in Contractibus frumenti, pecorum, aliisque similibus in perniciem trahat, immoderatos ac excessivos fructus exigendo. Et si priscis Seculis atque sub Justiniani ætatem fructus annuus duodecim florenorum pro centum permissus erat, à longo tempore id genus lucrum, omnem modum excedens, jure optimo prohibitum fuit.

Ipsa dein Salvatoris nostri Lex minimè eo consilio è cælo venit, ut mortalium societatem turbatum, & impeditum iret. Eáque propter si nec pecunias in mercaturam, ad faciendum sericum, aliásque negotiationes conferre; nec frumentum rusticis eo tempore commodare, quo vel ad

ſpargendum ſemen, vel ad alendam familiam ad novam uſque meſſem indigent, moderatum ex eo fructum recipiendo; nec pecora elocare, & id genus alias ſocietatis, vel alterius tituli pactiones conflare permittendum eſſet; graviſſima ſanè toti Reipublicæ imprimerentur vulnera. Et ubi in ejusmodi contractibus Mercaturæ ſuper moderato fructu convenire permiſſum haud eſſet, ſed aſſertione ac fide alienam pecuniam adminiſtrantis ſtari oporteret; pauciſſimi profectò forent, qui pecunias ſuas hac ratione fortunæ poteſtati committerent; ad hæc mercaturam exercentes ſi nummis nudi fuerint, nihil lucri facere poterunt. Dixi: *fructum moderatum*: nam id præcipuè ſpectandum, ut, omnes exceſſus, fraudéſque vetando, nonnullorum cupiditas comprimatur, & tenuioris fortunæ plebs pro facultate indemnis præſtetur. Faxit Deus, ut, qui pecuniâ paratus eſt, eandem ejusdem DEI amore nummariâ difficultate laboranti ſine cenſu ac fœnore mutuam credat: verùm plerumque fit, ut, qui ampliſſimam poſſidet pecuniam, eandem etiam ad quæſtum & fœnerationem transferre cupiat;& idcircò Populorum ac Gentium conſuetudines, niſi extra cancellos longiùs efferantur, haud facilè damnaverim, ſed in plurimis quoque caſibus lucri ceſſantis æquè ac

ac damni emergentis rationem habendam esse arbitror. Hæc scribo, ad ejus semper auctoritatem, quemadmodùm contestatus sum, provocans, qui & vetare, & approbare potest, quæ ad conscientias nostras spectare videntur.

Cùm hoc loco acriter disceptetur inter Doctos, an captatoriæ, eáque propter nullæ, ac irritæ sint institutiones Heredis, si modò Heres etiam id ipsum erga alium faciat, æquale Fideicommissum instituendo, vel ad totam hereditatem vocando; idcircò optandum esset, ut sapiens Legum scriptor decernat, quæ in ejuscemodi casibus cùm ad medendum fraudibus, ac stupiditatibus, tùm ad non impediendam honestam Testatorum amicorum voluntatem, & maximè si de Fratribus atque Agnatis agitur, observari oportet.

Doctoribus in controversiam etiam vocantibus, an à sententia in possessorio data, & à sententia executionis, atque in aliis casibus ad aliud Tribunal provocare liceat, statuendum esset, quando id obtineat.

Tametsi sancitum, atque stabilitum esse videatur, ut primus acquirens Libellum, vel Feudum, quamquàm etiam pro

omnibus Liberis, aut Nepotibus obtentum ſit, de eo non modò in illius ſolius gratiam, qui in numero ipſi eſt, diſponere, ſed etiam in perſonas externas alienare poſſit: tamen expediret certam definire regulam, impoſterùm in hac re obſervandam.

Quod ad vim clauſulæ Codicillaris attinet, ingens olim inter Jurisperitos diſputatio erat. Videndum jam, an hodie ad tollendas controverſias eandem magis ſtabilire oporteat, in memoriam revocando, quòd illa à ſolo Tabulariorum ſtylo naſcatur, quin Teſtatores ullam ejusdem notitiam habeant. Fortaſſis multi etiam Tabulariorum non majorem, quàm ipſi Teſtatores, ejus ſcientiam poſſident. Id ipſum de tot tantisque aliis, ſive tacitis, ſive expreſſis clauſulis dicendum, aſſerentibus nonnullis, easdem, quòd à Tabulariis ſecundùm eorum exemplum & inſciis contrahentibus appoſitæ ſint, nullam vim habere: aliis contrà affirmantibus, earundem notionem, quemadmodùm Jurisperiti præſcribunt, eſſe attendendam.

Diſceptant quoque Doctores inter ſe, an debiti, vel Dotium Confeſſiones, à Teſtatoribus factæ, validæ, invalidæve ſint, cùm eædem aliorum Creditorum, aut Filio-

Filiorum detrimento fictæ esse valeant. Eapropter Legislatoris prudentia regulam definire posset, ut ne in Judicum, partibus plus æquo addictorum, potestate atque arbitrio situm sit id decernere, quod ipsis libet.

Cùm Amplificatores privilegiorum Fisci, ubi occasio alicujus bona proscribendi sese offert, immoderatam auctoritatem quasi licitam sibi attribuant: moderatorum, & discretorum Principum est statuere, quæ bona ærario publico adjudicanda sint, habitâ semper jurium innocentûm Liberorum, vel vocatorum ratione.

Optandum quoque est, ut Doctorum disputationes super Donationibus, quas Patres Filiis sub patria potestate constitutis fecerunt, ad exitum adducantur, declarando, quando validæ, invalidæve existimandæ sint. Quemadmodùm etiam ad cujus dominium res, quas Mariti Parentes, vel ipse Maritus sponsæ donaverant, spectent. Alia adhuc argumenta super donationibus videas, quæ Principum curam, ac decisionem exigunt.

Magnis inter veteres Doctores certatum est jurgiis de Libellis sive Laicis, sive

Ecclesiasticis, pro se, & Liberis, vel pro se, & suis Heredibus obtentis, an alienari, vel extraneis Testamentô relinqui possint. Hæ, aliæque controversiæ de Libellis componendæ erunt, attentis Regionum consuetudinibus.

Decidendum quoque esset, quibus in casibus condemnandus sit, qui alterius factum pro rata promisit, tametsi omnibus viribus elaboratum fuerit, ut approbatio obtineretur.

Cùm Doctores *L. 2. ne Fidejuss. dot. dentur* ob varios casus, qui contingere possunt, in controversiam vocârint; & fas sit, ut non modò fomes rancoris inter matrimonio junctos removeatur, odiique faces extinguantur, sed etiam Uxoribus ob dotium indemnitatem succurratur; idcircò sapiens Legislator id statuet, quod ratio rerum requirit.

Dum Pater vitâ, & communi spiritu fruitur, Leges utriusque sexûs Liberis testamenti Tabulas condere, aut Codicillos facere prohibent. Sed cùm Doctores hanc inhibitionem terminis circumscribant, ubi de Filiis, qui bona castrensia, vel quasi castrensia habent, vel doctrinæ titulum palàm

làm adepti sunt, vel de Filiabus stabili conjugio junctis agitur, & in aliis casibus, Lege definiendum erit, quid hac in re deinceps fieri oporteat.

Acerrimè quoque Jurisperiti disputant, affirmantibus nonnullis, Filium in Legitima, vel re certa institutum, ubi alius Heres universalis est, Heredem existimandum esse; aliis contrà pugnaciter asserentibus, Legatarium vocandum esse. Proderit sanè plurimùm id genus controversiam dirimere.

Cùm orta sit disputatio, an Legata in Testamento, quod dein ob præteritionem Filii, vel nativitatem posthumi nullum ac irritum est declaratum, facta sustineantur, vel corruant; regula stabilienda erit; cùm magis ex æquitate esse videatur, quòd in ejuscemodi casu Legata vi taciti Codicilli debeantur.

Causa pia multa habet privilegia, & habere debet; sed videndum, an non interdum modum excedant, & in variis casibus illorum Doctorum facultatem constringere oporteat, qui semper pro causis piis pronunciant, quamquàm in judicio &

Liberi, & pauperes Parentes, ut alia missa faciam, concurrant.

Dantur non pauci casus, in quibus Doctores inter se controversantur, an ad Libellum, ad Fideicommissum &c. &c. copulativè vocati, illo conjunctim, vel ordine successivo fruantur: Quis inficias ibit, plurimùm esse profuturum, si decerneretur, quid hac in re observandum sit?

Varias super restitutione *in integrum* videas controversias, cui nempe, & quando illa debeatur; siquidem nonnulli sunt, qui præfractè defendant, centenariam ad ejus jus præscribendum haud sufficere: sed hoc est rerum dominium confundere, omnésque præscriptionis Leges ridere. E Republica, siquid ego judico, Legislator facturus esset, qui pro sua prudentia regulam statueret: definiendum quoque foret, ec. quando obtenta *in integrum* restitutio executionem sententiæ supremi Tribunalis impediat.

Sunt etiam multæ inter Jurisperitos, ad discordias pronissimos, controversiæ, an Testamenta inter Liberos, vel ad pias causas, & consuetis solemnitatibus destituta valida

valida ſint, an invalida. Has ab eo, qui poteſtate pollet, facilè detruncandas eſſe, nemo unus diffitebitur.

Certum eſt, Venditionem ejusdem rei, diverſo tempore diverſis perſonis factam, ubi fraudulenta, & doloſa eſt, tanquam fraudem, atque fallaciam puniendam eſſe. Non item conſtat, quando res vendita primo, vel ſecundo Emtori debeatur. Variorum ergò caſuum deciſio deſideranda eſt.

Cùm Doctorum diſputationes Authenticam *Præterea C. unde vir & uxor*, per quam Mulier indotata, & inops quartam partem in bonis defuncti locupletis Mariti accipere debebat, multùm turbârint; plurimùm ſanè proderit, ſi Princeps, ubi per Statuta huic rei non conſultum fuit, impoſterùm regulam ſtatuerit.

Lege quoque definiendum foret, quanta ſit Legitima, Matri ſuperſtiti in bonis unici Filii ſine Deſcendentibus præmortui debita, tollendo Doctoribus anſam interpretandi, quòd tertia pars totius aſſis eſſe debeat, ſi non ſint Agnati defuncti, & ſola tertia pars ejusdem tertiæ partis, ſi quis eorum vivat.

Componenda pariter esset controversia, inter Jurisperitos agitata, an Dos à Patre, vel Avo Filiabus, aut Nepotibus relicta, semper in locum legitimæ succedere debeat, nec ne.


Similiter decidenda foret quæstio, an, Testatore Uxorem usufructuariam, & solùm suum Filium Heredem instituente, si hic naturæ debitum solvit, portio ejusdem ususfructûs ad Heredes Filii defuncti, vel *per jus accrescendi* ad ejusdem Matrem perveniat.

Quemadmodùm & alia quæstio, an bona in præmium emancipationis donata Legitimæ imputanda sint, nec ne.

Ingentem controversarum Quæstionum silvam in argumento Evictionum invenias. Sapientis Legislatoris erit, id stabilire, quod usu exercendum, maximè decidendo, quando Venditor ad eandem teneatur, qui conceptis verbis dixit, se eam tantùm ob datum suum, & factum promittere.

Plurimas

Plurimas alias, ne dicam, innumerabiles Quæstiones, magnam partem in Foro probè exercitato, & longâ rerum experientiâ claro minimè incognitas, tuto silentio premendas duximus, Principum prudentiæ easdem ad decidendum commendantes, ut hac ratione causarum Patroni, & Procuratores, quoad vires ferent, à negotiis, atque curis abducantur.



CAPUT

CAPUT XX.

Operis Conclusio.

HAud ſanè ſcio, an mihi ipſe aſſenter, ſi dixero, me perſuaſiſſimum habere, omnes, quotquot Auſoniæ Jurisprudentiæ ſtatum, ab eo, qui in Gallia, Germania, & Hiſpania invaluit, minimè diverſum accuratiùs conſideraverint, faſſuros eſſe, eundem non interioribus magis, quàm externis nævis ſcatere, Juſtitiámque inter mortales gloriâ tantoperè excellentem, ac tantis laudum præconiis ornatam in graves conjectam eſſe in Tribunalibus anguſtias, vel eò maximè, quòd quilibet eandem ſummò ſtudio, ac vi in rem ſuam pertrahere elaboret, cauſáque cadens, plerumque maximam ſibi illatam eſſe injuriam arbitretur. Jam cùm fieri nequeat, ut omnia Jurisprudentiæ vulnera perſanentur, in id incumbendum maximè erit, ut ea ſaltem, quoad feret facultas, minuantur; & ſiquidem lites civiles nunquam deerunt, cavendum ſedulò, ut ne numerus earum creſcat, ſed identidem pro viribus imminuatur.

Me-

Melius in eam cladem remedium, quàm Principum Auctoritatem suggerere haud potui, ut, si non omnes, majorem saltem tot Quæstionum, ac Opinionum, quibus Jurisprudentia infuscatur, atque confunditur, partem decidant. Tanta juridicorum Voluminum farrago, tantæ inter Jurisperitos discordiæ elapsis Seculis Judicum sententias in infinitis penè casibus arbitrarias reddidêre. Quò pauciora in eorum potestate, atque arbitrio reliqueris, eò major spes affulget, fore, ut in causis forensibus dijudicandis consilia omnia, actionésque suas ad justitiam referant. Si in omnibus locis, omnibúsque temporibus Justitiæ Ministros haberemus, qui non modò summæ religioni magnam mentis perspicaciam, ac indefessam industriam uniant, sed etiam à quibusque vel secretissimis animi motibus exemti sint, credere profectò possemus, in iis Tribunalibus, ubi de Fortunis, ac mortalium vita judicatur, judicia plerumque cum ratione, & æquitate congruere; quamquàm non raro etiam magna ingenia, quemadmodùm aliàs vidimus, in Curia inter se dissentiant.

Verùm dic Sodes, quando, & ubi locorum ejus notæ Judices sapientiâ tantoperè præstantes, optimarum artium disciplinis adeò

adeò instructos, atque ab omnibus animi commotionibus ac cupiditatibus remotissimos reperias? Ne quid de aliis dicam, Cor hominis tantis animi motibus, quin etiam advertas, agitatur, ut, ubi in tua situm est potestate, arbitratu tuo viæ insistere, quæ magis placet, haud facilè scias, & securus esse queas, te semper meliore incedere. Eapropter hanc libertatem, quoad ejus fieri potest, circumscribendam esse arbitror. Certum est, nî Judices hoc freno indiguissent, leges compilatæ haud fuissent, & quivis eorum legislatorem vivum agere potuisset. Verùm comperto, fieri haud posse, ut non iidem sæpenumerò ignorantiæ, aut vanitati, nimiæque sui ipsorum æstimationi, aut partium studio, aliisve miseræ humanitatis affectibus obnoxii sint; idcircò Principes ac Respublicæ tot tantisque legibus id prudenti juxta ac salubri consilio sanxêre, quòd in disceptandis causis forensibus observari oportet. Quotiescunque Principes rogationem ad populum faciunt, oculis eorum non nisi publicum commodum obversatur, nullâ privatarum personarum habitâ ratione; & si etiam quodam modo regulam stabiliunt, quæ aliâ & contrariâ aut diversâ ratione statui posset, nihilominus è Republica faciunt, detruncando etiam hoc pacto non

non ſpernendum litium numerum, quæ naſci poſſent, ſi quæſtio non decideretur. Non eadem conditio Judicum eſt: cùm enim illorum ſit, ſuper privatorum negotiis judicare, inter tantas animi commotiones, quibus omnes, quotquot vivunt homines, ſubjecti ſunt, præter ignorantiam non raró aliam videas, quæ occupare, & proinde illorum judicia torquere, & confundere valet. Eam ob rem præſtat legem partium immunem, quàm Judicem, apud quem gratia vim æqui habere poteſt, judicare.

Id ipſum anno Chriſti nati octingenteſimo ſecundo, Imperii habenas temperante Carolo Magno, Antiſtites Galliæ miro affecit deſiderio, ùt ex Capitulariis Regum Francorum à Baluzio collectis apparet, ubi ait: *Ut Judices ſecundùm ſcriptam legem juſtè judicent, non ſecundùm arbitrium ſuum.* Verùm ſuffragante Beſoldo Diſſertat. XI. de Præmiis, Imperator Juſtinianus idem aſſeruit, ratus, ſatiùs eſſe, ut lites auctoritate legum, quàm voluntate Judicum componantur. Idcircò laudatus Beſoldus adjungit: *Quæſo, quotusquisque invenitur, qui Juſtitiam veram, & germanam, in animo ſuo ſitam, ac velut ex prævia quadam meditatione ita reconditam habeat, ut aut pe-*

cu-

cunià non corrumpatur, aut amicis non gratificetur, aut etiam inimicos non ulciscatur, aut alienam potentiam non reformidet, aut quoque affectibus non abripiatur: ut ita Jus dicere ritè, judiciáque liberè exercere, nisi ex regula Juris scripti, vix quisquam possit; aut, si possit, velit? Mitto alia ejusdem verba; siquidem hæc pauca erudito Lectori brevîs compendii instar argumenta exhibent, ob quæ summâ omnes cupiditate atque studio inflammentur, ut non Judicum duntaxat facultas, aliorum fortunas pro libidine sua distribuendi, atque dispensandi coerceatur, sed ab iisdem etiam periculum prævaricandi pro virili parte propulsetur.

Jam ex quo in Jurisprudentia acervus opinionum, & disputationum ob tot tantósque casus, quos antiquissimi Leguleii nunquam augurabantur, & multò magis ob publicorum Doctorum, & Patronorum, qui sub ultima quinque secula vixêre, subtilitates immensùm adeò crevit; ac proinde iis, qui in controversiis Judices consident, vastissimus apertus est campus, arbitris suis existimationem comparandi, nec levis contrà confusio, & varietas in Judiciis ex tanta Opinionum diversitate fluit; saluberrimum (nisi nihil ego sentio) medium

dium erit, si Principes securim ad radices ponant, excidendo, quoad ejus fieri potest, controversias, idque novis legibus, ac statutis inviolabiliter statuendo, quod in Justitiæ Tribunalibus posthac observandum erit. Non mihi latet, Romam gloriari, quòd insignis illa Curia, ubi maxima nullo non tempore inter Jurisconsultos nomina pro Tribunali sederunt, & etiamnum sedent, legales opiniones stabiliverit, atque firmârit. An porrò res ita se habeat, aliorum ingenio, & conjecturæ committo. Verùm ùtùt sit, id neutiquam sufficere existimo. Auctoritas Summi Pontificis urget, ut opiniones communes, ab ipsa suprema sua Curia receptas, stabiliat, atque confirmet, adstringendo etiam Sacrarum cognitionum Judices (Auditores Rotæ vocant) qui ex intervallo sequentur, ut eadem premant vestigia. Multò magis illa necessaria est, ubi mox dictæ opiniones per totum Territorium Pontificium extendendæ, atque in eo stabiliendæ essent, quia suprema Pontificis Curia, tametsi in illa sit summa Auctoritas, & amplitudo, non est ejusmodi Legislator, qui quemvis obstringat, ut decisionibus ejusdem se submittat. Quæ dein Pontifex Ditionum suarum bono statuere & pos-

possset, & deberet, ab aliis quoque Principibus in suis Provinciis statui & possent, & deberent. Hac ratione Jurisprudentia procul dubio magnam partem spinis expurganda foret. Id solum medicinâ tantùm non majus esse videtur, quo nempe pacto mortalium mens in testamentis, renunciationibus, donationibus, aliisque contractuum speciebus interpretanda sit, cùm istud plerumque tantùm à Judicibus pendeat, quorum intelligentia ob justò majus, minúsve acumen, ac scientiam, principiorum diversitatem, & non raró ob animi commotiones varia esse solet. Nihilominùs si sapiens Nomothetes tot diversissimos casus, qui prioribus seculis contigêre, & in illustrissimis Dicasteriis decisi fuêre, vel per se ipse, vel per alios consuluerit, eosdem Codici suo eo prorsùs modo inclusurus, quo Tribonianus cum aliis Juris consultissimis fecerat, quorum operâ Justinianus ad instaurandum Jus Civile usus est: erunt sanè plurima, quæ ad dirigendum forum, ac judicia, ubi de mortuis, ac penetrandis funditùs vivorum intentionibus agitur, plurimùm conferant.

Ad formandum dein mox dictum novarum legum Codicem, examinare primò opor-

oportebit Auctores, qui opiniones communibus studiis receptas collegerunt, iis selectis, quæ hodie præ aliis in celeberrimis litteratæ Europæ Tribunalibus civitate sunt donatæ, diversarúmque Regionum consuetudinibus ac usui accommodatæ. Jacobus Antonius Marta insignis in Academia Patavina Legum Doctor sub initia prioris Seculi erudito orbi notum fecerat, se Opus compositurum, quod omnia Jurisprudentiæ controversa argumenta, vel saltem majorem Decisionum in Italia, Gallia, Germania, Hispania, atque Lusitania usque in eam horam publicatarum partem comprehenderet, ac decideret. Reipsâ illud tribus majoris folii libris summa cum laude compilavit, præposito magnifico Titulo: *Digesta Novissima*; sibi quodammodo persuadens, fore, ut omnes in causis forensibus imposterùm ad nobilem hunc partum confugiant, quemadmodùm in Digestis, & Justinianeo Codice, ubi ejusdem verba occurrentium casuum necessitati non satisfaciunt, fit, vel fieri deberet. Verùm *Novissima* hæc *Digesta* aliam haud consecuta sunt gloriam, nisi quod immensam propè Juris Bibliothecam sex, vel tribus majoris folii Voluminibus auxerint, cùm nec ab ullo Principe recepta, aut confirmata sint, ita, ut hodie

solùm, quemadmodùm alia Repertoria, & Lexica considerentur, quæ causarum Patronos à labore & negotio in multis, variísque libris id piscandi, quod ibi in unum quasi conjectum est cumulum, abducunt. Nihilominus siquis animum ad colligendas celeberrimas fori sententias appelleret, lætos & uberes consilii, laboris, & vigiliarum fructus ex illis capere posset. Ita Mascardus in Opere suo *de Probationibus*, aliíque hoc genus libri, cùm grandem Juris scientiam comprehendant, quemadmodùm rationes opinionum suarum adducendo, ad instruendos legum studiosos plus faciunt, ita novi Codicis Compilatori multa lumina suppeditare possunt.


Ceterùm paulò antè dictum Opus formaturo omnes Tractatuum Compilatores, & Controversiarum Scriptores in suppetias vocandi sunt, cùm quilibet eorum singulare illud argumentum studiosè excussisse, atque perpurgasse credatur. Omnis denique conclusio, quæ in materiis legum acceptetur, communibus studiis recepta, & insignium Jurisconsultorum Auctoritate firmata; ubi à Principe tanquam lex stabilitur, in Judiciis usu exercenda erit, nihil pensi habitis Jurisperitorum, contrariæ sententiæ subscribentium, rationibus, & opinioni-

nionibus. Hæc eum in finem à me dicta sunt, ut quivis nullo negotio cognoscat, quàm facilè nonnulli Judices, imperioso & despotico, dum munere suo funguntur, agendi modo assueti, in judicandi libertatem, prout magis ex æquitate ipsis esse videtur, Inclinent, laxatis eapropter legum frenis. Princeps igitur non duntaxat totus in eo sit, ut Constitutiones suæ magni habeantur, atque serventur, sed omnes etiam ejusdem curæ, consilia, atque cogitationes vigilent, ut ne Purpuratorum libido alias, eásque novas cum arbitrariis terminis & ampliationibus, id est clarâ aliarum legum intentione non fundatis, consuat.

U. J. O. G. D.



IN-



INDEX.

Numerus paginam indicat.

A.

Accurſius omnia in Corpore Juris reperiri cenſet. 3. in varios errores incidit. 71. defenditur. 72

Actiones intrinſecùs malæ neminem latere poſſunt- 86. aliæ ſunt juſtæ, aliæ verò injuſtæ. 87

Adiaphoria in Judicibus requiritur. 193. & ſeq.

Adjuncta ipſas leges naturales mutare poſſunt. 89

Advocati ſunt neceſſarii. 117. debent eſſe docti. 119. an fallaciis uti poſſint? 121. ſæpè credunt, quod clientes. 142. ſtudent cauſas protrahere, & protelare. 233
plura vid. verb. Juriſconſulti.

Æquitas amplo gaudet imperio. 218. imaginaria Judicum nequaquam ferenda eſt. 222

Æquum cognoſcere in plurimis caſibus difficillimum eſt. 85. & 91

Alimenta cuicunque inopi filio à patre præbenda ſunt. 365. quid nomine alimentorum veniat? 366

Apologus de felibus refertur. 240

Artes meritò laudantur. 1

Auditores Rotæ Romanæ non reſpondent Commendationibus Principum. 206

M. Au-

M. Aurelius Antonius jus vetus restituit. 158. nunquam fisco in judiciis favit. 285
Azonis libri non ampliùs leguntur. 161

B.

Baldus non ampliùs legitur. 161. plurimùm accipit ex solis substitutionum litibus. 324
Barbosa non commentatur in fidei dogmata. 45
Bartolus laudatur. 58. non ampliùs legitur. 161
Bellameri Opera non leguntur. 161
S. Bernardus Claravallensis agnoscit, leges esse litium seminarium. 101. vult, ut lites citò decidantur. 254
Besoldus defendit, & commendat Jurisprudentiam. 84
Bona propria quænam esse censeantur? 275

C.

Carneades gloriabatur, se probaturum, iniquum esse æquum. 96
Causa quænam censeatur melior? 32. eadem variè deciditur. 31. est sæpè obscura. 36. causæ, conjecturis tantùm innixæ ad Judices adferuntur. 139
Causidici sunt necessarii. 117. debent esse docti. 119. an fallaciis uti possint? 121. student protrahere causas. 233. *plura vid. verb. Jurisconsulti.*
Census an præscribi possit? 270. & seq. præsenti ære emendi & retrovendendi sunt. 3 0
Cessio bonorum quibus sit concedenda? 288
Clausula derogatoria an vim habeat? 359

Clemens V. ſtatuit, lites citò decidendas eſſe. 248
Codex in Italia per plura ſecula non fuit cognitus 41. Theodoſianus conficitur. 159. novus conficiendus eſſet. 188. & ſeq.
Commendationes quando permitti ac tolerari poſſint? 203
Commentarii in Corpus Juris prohibentur. 41. magnam habent auctoritatem. 68
Commotiones animi ſæpè Judices in alteram partem inclinant. 194
Compendium Juris an utile foret? 145
Concilium Tridentinum vult, ut lites citò componantur. 255
Concluſiones inter Jurisperitos controverſæ decidendæ ſunt. 177. legales in faſcem colligi debent. 181. variæ adferuntur. 343. & ſeq.
Conringius deplorat litium diuturnitatem. 253
Conſilia quædam etiam peritiſſimum quemque decipere poſſunt. 123
Conſtantinus M. novas leges conſtituit. 159
Conſtitutiones multæ in Novellis ad forum non faciunt. 67
Conſulentes magnam merentur fidem. 151
Controverſiæ ſemper fuerunt, & erunt. 22. unde oriantur? 26. quare? 90. ortæ ob teſtamentarias tabulas legibus componi nequeunt. 187. protrahuntur in plures annos. 232. Romanorum citò deciſæ fuerunt. 244. *plura vid. verb. Lites.*
Corpus Legum non omnia complectitur. 3.

con-

conficitur jubente Justiniano Imperatore. 39. comprehendit multas supervacaneas, & contrarias leges. 80. permagno æstimari debet. 143. non est liber perfectissimus. 143. brevius desideratur. 144. novum componendum esset. 189. & seq.

Creditor quis præferendus? 275. & seq. non tenetur solvere, quæ ad pompam exsequiarum debitoris spectant. 276. an bona debitoris in æstimationem accipere debeat? 285. & seq. justo pretio æstimata per novas Constitutiones in æstimationem accipere vi obstringitur. 289

Curia Romana sæpè palinodiam canit. 83

D.

Danza Eliseus colligit legales opiniones. 154

Debitores quinam ad bonorum cessionem admittendi? 287

Decisiones magno in pretio habendæ sunt. 82. sæpè discrepant. 83. pluris fiunt quàm ipsæ Leges. 125. quædam injustæ sunt. 132

Declamationes in ludis unde ortæ? 329

Decoctores aliarum rerum gravissimè puniri debent. 286

Descendentes masculi quinam censeantur? 51. & 350

Dispositio captatoria nulla est. 350

Doctores nunc etiam leges scribunt. 48. eas mutant, atque alias ad arbitrium substituunt. 49. laudant Corpus legum 64. Paragraphorum magni fiunt. 165

Donatio bonorum quæ ſit prohibita, & inofficioſa? 359
Dotes Judicum recenſentur. 105. an mulierum præferendæ ſint hypothecæ expreſſæ? 279

E.

Edictum perpetuum quare editum? 38. commentariis illuſtratur. 39
Eloquentia apud Græcos & latinos uſu vigebat in agitandis cauſis. 329. veterum hodie in judiciis non eſt neceſſaria. 333
Eruditio plurimùm confert ad Jurisprudentiam. 73
Eruditorum tria ſunt genera. 9
Exceptiones dilatoriæ quid conferant? 236

F.

Faber Antonius Legulejos forenſes odio habet. 182. ſuggerit medium, finiendis citò litibus aptum. 260
Feles ſimiam eligunt judicem. 240
Fideicommiſſum planè ridiculum à Juriſconſulto conficitur. 100. à Principe abrogari poteſt. 270. facere eſt laudabile. 310. multis incommodis obnoxium eſt. 311. an uſus illius ſit utilis, an pernicioſus? 313. ignobilibus prohibetur. 317. non fecerunt Franci & Longobardi. 321. quando plurima fieri cœperint? 322. quando ceſſet? 344
Fides mala evertit præſcriptionem. 273
Fiſcus an præferendus ſit Creditoribus, expreſſam hypothecam habentibus? 283

Forum

Forum est litium ferax ob successiones, fideicommissa, & substitutiones Agnatos inter & Cognatos. 183
Fulgosus quid nomine descendentium masculorum intellexerit? 51. vapulat. 58

G.

Genera tria sunt eruditorum. 9
Græci antiqui in causis civilibus ac criminalibus utriusque partis rationes coram Judicibus exposuerunt. 328

H.

Heres atque *hereditas. vid. plura* 342. & seq.
Homines semper litibus inter se commissi sunt. 22. sunt mutabiles. 27

I.

Ingenium humanum plurimarum rerum capax est. 95
Iniquum cognoscere sæpè perquàm difficile est. 88
Intellectus perspicax ad rectum judicium requiritur. 114
Irnerius primus Bononiæ Codicem explicat. 62. commentatur primus in Leges Justinianeas. 68
Judices advertunt Jurisprudentiæ nævos. 6. inter se dissentiunt. 31. Romani utuntur solo Codice, & Institutis. 62. sunt inter se discordes. 93. quas dotes habeant? 105 & seq. quinam eligendi? 109. sint docti. 109.

109. judicant contra doctorum sententias. 133. non omnes sunt docti. 141. item 171. speciosis titulis ornari debent. 185. ab omnibus affectibus liberi esse debent. 193. cor suum examinent. 195. partium studiosi esse non debent. 197. & seq. muneribus vel personarum dignitate excæcantur. 199. religiosi non accipiunt munera. 200. non timeant, potentes vel divites sententiâ suâ offendere. 201. quando commendationes accipere possint? 203. jurant, se sententiam æquiorem dicturos. 208. litigantium res nunquam faciunt suas. 210. exteri eligebantur. 212. quasdam regulas sequi debent. 214. & seq. de aliorum fortunis ad arbitrium judicare non possunt. 216. utriusque partis rationes pari industriâ examinare debent. 217. specie æquitatis cum justitia dolosè agere non debent. 218. aliis legum gratiam facere nequeunt. 224. in dubiis & perplexis quæstionibus pro amico judicare non possunt. 226. in dubiis causis transactionem suadeant. 226. in contradictoriis difficultates & argumenta, ut in alteram magis partem inclinent, sincerè exponere debent. 228

Judicium scientificum in quo consistat? 112

Julianus Edictum perpetuum edit. 38

Julius Cæsar jus civile ad certum modum redigere statui. 158

Jurisconsulti pro viribus laudant scientiam suam. 4. habent potestatem in res & facultas-

cultates hominum, & non raro in eorum etiam vitam. 12. exceptiones & limitationes legum faciunt. 24. non convenit inter ipsos. 30. laudant Corpus legum. 64. leges constringere, vel relaxare contendunt. 91. ingenium suum venum exponunt. 98. multorum malorum causa sunt. 102. sunt necessarii. 117. quas dotes habeant? 118. & seq. contra se invicem pugnant 135. in jurisprudentiam calamum suum stringunt. 156. causas protelare student. 233. *vid. verb. Advocati.*

Jurisprudentia utilis & necessaria est. 1. & 7. definitur. 2. omnibus scientiis præfertur. 2. quare divinarum rerum notitia dicatur? 4. indiget correctione. 7. & 17. plena est opinionibus & confusione. 17. corrigi deberet. 21. interioribus nævis scatet. 23. & exterioribus. 38. & seq. qua ratione adeò mutabilis sit? 50. est horrida discordiarum silva. 81. floret Romæ. 141. hodierna est mare vastissimum. 148. est amplissima regio. 149. plurimis oppleta opinionibus. 150. hodierna magis confusa est. 161. à Rege Sardiniæ corrigitur. 163. an ad sola Legum verba revocetur? 163. & seq. corrigi potest. 176. & seq. hodierna lites serit. 178. novo composito Codice corrigi potest. 189

Jus Romanum est nobilissimum. 63

Jusjurandum quos contractus reddat validos. 358

Justi-

Justinianus Imperator Corpus Legum confici curat. 39. in illud commentari prohibet. 40. Romanas leges promulgat. 59. omnes casus prævidere non potuit. 148 certum tempus litibus constituit. 248.

Justitia terram reliquit. 85. matronæ specie depingitur. 143. indignis modis accipitur. 157

L.

Latini antiqui in causis civilibus & criminalibus utriusque partis rationes coram Judicibus exposuerunt. 328

Legatum quando caducum existimatur? 348. à patre relictum filio vel filiæ, legitimæ & Trebellianicæ imputatur. 352

Leges quare latæ sint. 5. Augentur 17. debent esse claræ 23. variis interpretationibus obnoxiæ sunt. 23. omnibus casibus non provident. 24. minùs æstimantur, quàm opiniones Doctorum. 48. Romanorum promulgantur. 59. Longobardorum in Italia dominantur. 60. Antiquantur. 61. Romanorum semper in Italia vigent. 61. Barbaræ abrogantur. 63. Municipales auctoritatem ac vim accipiunt. 64. Commentariis dilucidantur. 68. Romanæ ab Irnerio explanantur. 74. multæ proscribi debent. 80. Romanæ sub ætatem S. Bernardi in lucem retrahuntur. 101. sunt litium seminarium 101. circumscriptione indigent. 128. exceptiones admittunt. 130. contrariæ in Corpore Juris dantur,

dantur. 143. plurimæ ſunt obſcuræ. 144. debent eſſe paucæ 144. ſunt captu difficillimæ. 146. in vernacula conſcribendæ ſunt 147. Principes, & quibus conceditur facultas, ferre poſſunt. 167. Longobardorum optimè lites componunt. 256

Longobardorum Reges Corpus Longobardicarum Legum componunt. 60. eorum legibus lites optimè fuerunt compoſitæ. 256. Longobardi non fecerunt Fideicommiſſa. 321.

De Luca Cardinalis Jurisprudentiam omnibus ſcientiis præfert. 2. in diſputationibus plures adferebat rationes, quàm auctoritates. 168

M.

Majoratus commendantur. 310

Medici jurisdictionem in corpus humanum exercent. 10. non convenit inter ipſos. 14. profitentur, artem ſuam eſſe incertam. 15

Medicina plena eſt opinionibus. 14. & 18

Methodus nova etiam in Jurisprudentiam irrepſit. 161

Miniſtri Principum timeant Deum. 106. quas dotes habeant. 106 & ſeq.

Mobilia quænam eſſe cenſeantur. 347

Modus ſeu ratio cauſas ac judicia protelandi. 236

Motus animi judices ſæpè in alteram partem inclinant. 194

Munera excæcant judices. 99. & seq.

N.

Nævi interiores Jurisprudentiæ deteguntur. 23. & seq. Externi recensentur. 38. & seq. Judicum recensentur. 105. & seq. Advocatorum, aliorúmque Jurisprudentiæ Ministrorum proferuntur. 117. & seq.

Nobiles constituendi sunt Judices. 109

Notiones universales æqui & iniqui in homine dantur. 86

O.

Obligationes ab incarcerato factæ, an sint validæ. 363

Opiniones Doctorum pluris æstimantur, quàm leges. 48. qua ratione Doctorum vim legis obtinere soleant? 50. contrariæ plurimæ dantur. 136. legales in fascem colligendæ sunt. 181. probabiliores præ probabilibus Judici eligendæ sunt. 215

Orationes elaboratæ apud Græcos & Latinos olim præsertim in judiciis necessariæ erant. 331.

P.

Pacta in fundatione & venditione Censûs apposita an sint licita? 363. & seq.

Pandectæ in Italia per plura secula minùs cognitæ fuerunt. 41

Papi-

Papinianus à ſe ipſo diſcrepat. 136
Pater quemcunque inopem filium alere tenetur. 365
Perremutus nævos Jurisprudentiæ divulgat. 153
Pius IV. commentarios in Concilium Tridentinum prohibet. 45. ſtatuit, ut cenſus præſenti ære emantur, ac retrovendantur. 300
Pontifices voluntut, lites citò componantur. 248
Præſcriptio quare introducta. 263. ejusque conditiones recenſentur. 263. & ſeq. hodie facilè ſubvertitur. 266. an contra ignorantem currat? 267. an contra fidei commiſſa ac cenſus detur. 268. an contra ſortem principalem locum habeat. 271. ſervitutes, hypothecas, & alia realia jura extinguit. 272. ad caſtigandos negligentes etiam introducta eſt. 272
Principes Jurisprudentiam corrigere deberent. 21. habent jus faciendi leges. 48. deberent declarare, quando maſculus; ex maſculis, & maſculi ex feminis deſcendentes ſuccedunt. 56. ætatis ſuæ Jurisprudentiam corrigere ſtuduerunt. 158. curare debent, ut non tam frequentes lites moveantur. 176. & motæ citiùs finiantur. 249. & ſeq. in derogandis feriis faciles eſſe debent. 251
Procurator negligens ad omne damnum, & expenſas tenetur. 360
Punctum amici quid ſit. 185. & 226.
Pupillus pubertati vicinus: ſine Tutoris Auctoritate hereditatem lucroſam a..ire o..teſt. 352

R.

Rationes in forensibus causis magis usurpandæ sunt, quàm auctoritates. 167
Ratio ac modus protelandi causas adfertur. 236
Reges Longobardorum Corpus legum componunt. 60
Regulæ, quas sequantur Judices, adferuntur. 214. & seq.
Rei vindicationi maxima virtus inest. 276
Romæ floret Jurisprudentia. 141
Rota Romana citò lites componit. 261

S.

Scævola à se ipso discrepat. 136
Scientiæ meritò laudantur. 1
Secula barbara an nostris fuerint feliciora. 257. an nostra vel barbara ob numerum advocatorum sint feliciora? 258
Seminarium quid sub hoc nomine veniat. 69
Sententia varia in eadem causa fertur. 28 etiam iniqua. 133. in variis judiciis varia fertur. 140. sæpè injusta esse putatur. 142
Simia in judicem eligitur. 240.
Sophistæ Græcorum à Latinis Oratoribus parùm differebant. 334
Statuta vim atque Auctoritatem accipiunt. 64. Italiæ sine interpretibus & commentariis habentur. 168. Italiæ citò lites decisas volunt. 249
Studium Legum Justinianearum Bononiæ introducitur. 60. Jurisprudentiæ est seminarium

rium contradictionum. 152. Advocatorum solis legum verbis reservandum est. 163
Substitutiones apud veteres Romanos usu vigebant. 310. plurimùm advocatis prosunt. 324

T.

Tacitus lamentatur, nos legibus laborare. 144
Testamenta quænam valida. 343. quænam inofficiosa. 354. *plura ibi vid.*
Textus legum quomodo explicandi. 27
Theologi Morales agunt de anima hominis. 10 de regulis generalibus inter eos convenit. 12
Theologia Moralis opinionibus plena est. 12
Theodosius II. leges ad suam usque ætatem editas in unum librum colligi curat. 159
Titulus justus præter longi temporis possessionem, & bonam fidem ad præscriptionem non requiritur. 264
Trajanus Imperator in judiciis nunquam fisco favit. 285
Tribonianus opera Jurisconsultorum pessumivit. 146

U.

Vernuleius breve juris compendium utile censet. 145
Victor Amadæus Sardiniæ Rex Jurisprudentiam corrigit. 163. vult, ut lites citò componantur. 259. ignobilibus fideicommissa facere prohibet. 317
Virtutes Advocatorum, aliorúmque Jurisprudentiæ Ministrorum recensentur. 117. & seq.

Vivarium quid ſub hoc nomine veniat. 70
Voluntas humana difficillimè explicatur. 25
Captatoria nulla eſt. 350.
Uſucapionis Lex quare introducta. 263. ſervitutes, hypothecas, & alia realia jura extinguit. 272
Uſus fori ſunt multi inutiles. 244. Fidei commiſſorum an ſit utilis, an pernicioſus magis. 313.

Z.

Zevallos Hieronymus Jurisprudentiam hodiernam ſuſpectæ fidei reddit. 44

Menda Lector Emenda.

pag. 99. evovite - - evolvite.
113. novercante naturæ - novercantis naturæ.
113. cui omnes - - cui omnis.
142. atferant - - adferant.
214. fieri poteſt: - - fieri poteſt)
225. motu abduci - motu ſe abduci.
251. juridicialem ordinem - judicialem ordinem.
333. vincat - - vinceret.
341. maturiatas eſt - maturum tempus eſt.

Reliqua vel benignè excuſet, vel corrigat.

